



Pro Io. Monlucio, episcopo et comite Diensi praescriptio, aduersus libellum Zachariae Furnesteri:

<https://hdl.handle.net/1874/430124>

PRO
 IO. MON-
 LVICIO, EPISCOPO
 ET COMITE DIENSI
 præscriptio, aduersus libellum
 Zachariæ Furne-
 steri:

CVI ADIECTA EST
 EIVSDEM ZACHARIÆ
 Furnesteri aduersus eandem præscri-
 ptionem, defensio.



M. D. LXXV.

O. M. O. N.

Y. C. I. O. E. T. I. S. C. O. F. O.
V. C. O. M. M. I. S. S. I. O. N. A. R. I. A.

... ..
... ..
... ..

C. V. I. A. D. I. E. T. A. R. I. A.

... ..

... ..
... ..



M. D. LXXV

PRO IO. MONLV-
CIO EPISCOPO ET COMI-

te Valentino Diensi, præscriptio ad-
uersus libellum quendam nuper edi-
tum Zachariæ Furneſteri sub-
ditio nomine.



*V*llam legi vel audiui vn-
quam fuisse atatem feraciorē in-
geniorum proiectorum ad calu-
mniaſ omnes, & callido aſtu ta-
men calumniaſ ſe refutare adſimulantium,
quàm hæc ſit noſtra. Et hoc obſeruans nimium
diu iam in hoc nobiliſſimo Galliaſ regno, ſæpe
deſleo apud me ſtatim præſentem, rerum homi-
numq; mores & ingenia praua, & modò ſumo
ſtilum in manus, quo quantum poteſt licentiam
huiuſmodi cohibeam atq; coarguam, modò de-
pono, cogitans quàm ſit alienum ſtudijs meis
congruere cum hominibus nullo alio quàm ma-
ledicēdi ſtudio præditis, quàmque inutile com-
moneſcere ſcribendo quos nihilo meliores red-
diturus ſim, ac præterea ſubito animum ſæpe ve-
ritatem ipſam, quæ neque latere neq; ullis ca-
lumnijs inſuſcari poteſt, ſatis ſe ipſam tueri, ſa-
tis mendacia refellere. denique ſe ipſa eſſe con-
ſentiam, & innocentiam quoque ipſam, vt Ce-

cilius poëta dixit, summam eloquentiam esse.
 & hæc me potissimum res hæcenus quiescere
 & tacere compulit, ridentem interim stultitiam
 hominum, nec pro mea parte officium quod de-
 beo, reddentem plerisque præstantissimis & re-
 gno fidelissimis viris, quorum famam peti cer-
 nebam, ac ne Christianissimis quidem regibus
 nostris aliisque principibus, quorum tamen exi-
 stimationem & dignitatem, cuius illi nullam
 penitus rationem habent, curæ nobis esse quam
 maxime decet, quibus nos ipsi vna cura sumus.
 illustris certe insignisque eorum virtus sui fortis
 per se & idonea vindex satis, defensionem susci-
 pere conanti mihi restitit sæpe numero & reti-
 nuit impetus, manumque compescuit vsque dum
 exijt libellus quidam Zacharie Furnestieri, si-
 verum est auctoris nomen, quo omnium qui
 sunt in Gallia mihi noti, eminentissimi & eru-
 ditissimi viri Io. Monlucij episcopi & comitis
 Valentini suggillat famam, raptâ occasione ex
 defensione quadam aduersus calumnias inie-
 ctas Illustrissimo Andium duci, cum de eo regi
 eligendo ageretur in Polonia, qui modò felix
 & hoc & illo potitur regno. multa enim me in
 eo libello commouerunt. Primum quod struo-
 rit is libello defensionem oppugnandam sibi
 quam nondum quisquam viderat, nec ante ca-

rauerat formis exprimi, quam, si ex scripto e-
 missa fuit vnquam, pauci Poloni legerunt, mo-
 do legit Christianus orbis, curante illo scilicet,
 hancq; ad maledicendum sibi comparante ma-
 teriam, quam si verbo vno negarem à Ioanne
 Monlucio esse conscriptam, non haberet ille vl-
 terius quo progredi posset, quâuo fide probaret
 quem fingit auctorem: si quidem Polonica lega-
 tione, quæ is præclare gessit, dixit, scripsit, fati-
 le passus est diuulgari omnia, in his defensionē
 illam neq; audio neq; video. & verò supprimen-
 de eius nulla fuit causa. quisquis enim defensor
 ille est, si Monlucius, si alius quiuis, pius sanè
 fidusq; suo principi est, & in omnibus quæ nar-
 rat quæuē probat, verax, & quod nec forsitan
 ipse Monlucius abnuerit, demus, concedamus
 quod vult auctore defensionis esse Monluciu.
 nam & his quæ tanto viro obijcit, obijcere me
 paria mea erga eum fides pietasq; iubet. & quæ
 me post principes contumelia magis afficit in
 eo libello, ea est quæ ei aspergitur principum
 nostrorum antiquissimo & fidissimo legato, cui
 tamen non mirum est, si non pepercerit libel-
 lus ille, qui nec dominis pepercit. qui mos hic
 est? licet insultare principibus hodie pro libi-
 dine cuiq; iure vel iniuria, licet cōminisci quid-
 uis in eisdem, & credulam leuemq; plebem his

artibus concitare contra Dei ministros (hi sane sunt principes) & sub Dei nomine tamē hęc agere, & specie religionis purioris emendationisq̄. quo quid sceleratius? licet calumniari sub umbra exagitandę calumnię, & ut quidam ex veteribus obiecit Augusto auctori legis Iulię, licet cuiq̄. ac rem se fingere in eo vitio reprehendendo, in quo sibi mirum in modum indulget, & si desit reus quem libuerit, cumq̄. sibi statuere pro reos scholasticorum declamantium in scholis more? Et qui tandem hi homines sunt, qui tantam sibi adrogant licentiam? quis his Zacharias Furnesterus? an qui se adoptauerit aliquis, & ex alio nomine transferit in aliud licentioris licentię captandę causa? Est enim omnis ficticia & adserta hęc proles, quicunque plaustra hęc conuictiorū exedificāt, hodie passim sedente magistratu deside. Si esset tuum verum nomen Zacharia, reponerem & ipse meū. ficto malui nullum quā̄m fictum reponere, & abhorruī ab exēplo malo. nam qui habet quod in alio reprehendat, idq̄. in mediū proferre studet, vel ut rem prodāt publicē cunctis, vel ut errātī monstret viam, (nec enim alia fini possit quis quidquam in quenquā scribere, nisi malignē) is sanē si numen Dei reueretur, si pius est, si qua, ut diximus, fini oportet, scribit, non sūū debet

debet subtrahere aut cōmutare nomen. alioquin
 scripto fidem derogabit omnis. Erubescis tuū,
 hoc nimirū dicturus est, qui scribis efferre no-
 mē. Erubescō & ipse his quae scribis habere fidē.
 Commentitiū est auctoris nomen, & cōmentitia
 igitur merito suspicor esse omnia quae sub falso
 nomine edita lego. Idē de tuo libello Pseudoza-
 charia, si nō adsident, insanis procul dubio iudi-
 ciiū facturi sunt omnes. Quā iure vereq̄, mox
 patefaciā, singula refellens, quae tu vel in prin-
 cipes illustrissimos sacratissimosq̄, vel in Mon-
 luciiū effudisti temerē, tuaq̄ venena meis inse-
 quens antidotis: Monluciiū, inquis, ad mentien-
 dum mercede conductū Polonis cōmendasse na-
 tura crudelissimū, indignissimumq̄ regno prin-
 cipē. Grauem iniuriam in ipso limine statim fa-
 cis illustrissimo principi, quem natales certissi-
 mi fecere regem, grauem Polonis, qui cōcordibus
 suffragijs eum sibi optauerē regē, grauem magno
 & praeparanti Deo, cui nos qui pii sumus, acce-
 ptos ferimus reges, manifestā deniq̄ iniuriā cœ-
 lo terraq̄. Et quod de crudelitate addis, etiā si
 tu tuiq̄ similes, quorū hęc ætas alit numerū in-
 gentē nimirū, crudelem pœnarū, quas merētur,
 exactorē sanē requirant, tamen quā is prin-
 ceptus à crudelitate absit, testē aduoco, & tibi op-
 pono vni homini obscura ac penē nulla, Polono

rū gentem innumerā, eamq̄ generosam & illu-
 strem, quibuscum post electionem serenissimus
 rex annum egit integrum, testem Galliam v-
 niuersam, si quid gessit idem antequam ad Po-
 lonos proficisceretur, si quid post reditū quod
 resiperet ferum, si non omnes summam in eo cle-
 mentiam humanitatemq̄ experti sunt semper,
 si non & mox à reditu suo eam patefecit, prom-
 ptus, pronus facilisq̄, proposita indulgentia se-
 ditiosis omnibus qui modò resipiscerent, & ad
 bonam frugem redirent, qua de re & arcessit
 ad se horum ducibus quibusdam cum eis egit na-
 per Lugduni familiariter supersticibus multu-
 meq̄, vidente ipso, præq̄ desiderio publicæ pacis
 tacitè interea illud Andromache immurmur-
 ante: Quò te celsum altius superi leuarunt, mi-
 tius lapsos preme: Quod utiq̄ cum illis agebat
 etiam optimus princeps totis viribus omniq̄ co-
 natu, nec quidquam duriora enim rebelles ferro
 pectora gerunt: & quando semel malè pro-
 uidi à recto deerrarunt, feruntur in præcepta.
 Etiam te non feram scribentem Monlucium
 mercede conductum ad mentionendum. an Mon-
 lucius tibi est veluti è circulis petitus præco-
 quidam, vel ex foro rabula vocem qui prostituat
 suam, & verba locet, vir quem tota vita
 tuipse fateris documenta dedisse multa graui-
 tatis,

tatis, prudentia, pietatis, integritatis, benigni-
 tatis atq; iusticie, figurata tamen laude & ma-
 litiosa, qua pariter se à Ruffino perstringi que-
 ritur Hieronymus sæpe, quem citra istam com-
 mendationem tuam subdolan & vaftram, nem-
 pe desinentem in conuitia tandem, satis cōmen-
 dant Principum aula omnes, & Republicæ
 vniuersi orbis, quas adijt legatus continuus
 40. annis nomine Regum Gallie quatuor. Ea
 satis vociferantur & clamant quàm in obscun-
 dis legationibus fuerit religiosus, castus, verax,
 strenuus, efficax adeo, vt plus gloriæ credide-
 rim eum sibi inde apud exteros cōparasse quàm
 apud suos. Et tu homo nulli rei furcivus, clan-
 cularius, tot tantisq; elogijs publicis durum os
 tuum opponere audes? & quod iteras frequen-
 ter, per eandem lineam incedens, hominem ca-
 stissimum & genitum in omnia virtutū exem-
 pla, quem tot colunt & admirantur Princi-
 pes, tot vrbes, incusare mendacij atq; etiam vi-
 lissimæ conductionis hominem liberrimum, si
 quis fuit vnquam, & liberalissimum, & vix
 forsā vllam dum etiam Polonicæ legationis
 mercedem nactum, quàm honorem & gloriam
 immortalē, quæ sola etiam abunde ei, satisq;
 est. Quociens legatione functus est, functus
 verò est, si bene memini, Romana II. ad Pau-
 lum &

lum & Iulium summos Pontifices, Belgica ad
 Carolum, Hungarica ad Ferdinandum Imp.
 Veneta ad Ducem & Remp. Anglica II. ad
 Henricum & Isabellam reges, Scotica ad regi-
 nam cum titulo etiam Cancellarij regni Scotia
 ab Henrico VI. transmissus, Græca II. ad Tur-
 carum Imp. & posteriore quidem summa cum
 laude & gratulatione omnium principū de pa-
 ce vniuersi orbis egit atq; peregit, quemadmo-
 dū & cæteris omnibus non nisi re confecta feli-
 citer ad dominos suos reuersus est, Polonica
 quoq; ad Sigismundū regem, & iterum re addu-
 cta ad interregnum, hunc quis credat totiens,
 aut hac postrema tantū Poloniae legatione pre-
 tio coemptum, Episcopū claris natalib⁹ ortum,
 & fortissimo atq; inuictissimo fratre maiore na-
 tu gloriosum nescio an magis quàm ille vicissim
 splendidus de suo nomine, eruditione, sapientia,
 atq; dotibus etiā belli nonnullis, nedum togæ, an
 par vtriusq; ratio: relinquo ciuilibus rebus an
 sint anteponendæ militares, suum hæc campum
 questio propriū requirit, in quo me sedente vix
 vinceret viri militares. Sed quot ciuilia officia
 huius possis memorare, tot etiam illius milita-
 ria, & nulla non felicia atq; prospera, miro rerū
 vtrumq; sequente successu, & alite secunda sem-
 per. quis rursus credat pretio corruptū homi-
 nem

nem inuicti animi aduersus diuitias, qualem eū
 prae se tulisse semper iuxta mecum omnes intel-
 ligunt, hominem dignitatibus, opibus & gloria
 florentissimum, iamq̄ versantē annos 15. in in-
 teriori consilio Regum, gratissimū, amicissimū
 regibus, cum propter acumen ingenij vigorē
 que in dicendo incomparabilem, tum propter
 candorem & liberam ingenuamq̄ loquendi fa-
 cultatem, nullis cōtaminatam adulationibus,
 ut philosophi definiunt, blandis inimicitijs Re-
 gum, si suos bene utique nossent, nec falleren-
 tur, & capti exēplo Alexandri plus diligerent.
 nonnquam Hephestionem φιλαλέξανδρον
 quā Craterum φιλοκρατέα. Et de hoc quidē
 natiuo ingenitoq̄ candore mentis hanc retulit
 laudem ab omnibus, ut quemadmodum Pisonis
 inimici non poterant diffiteri quin is esset fru-
 giatā Monlucium etiam a muli fatentur ni-
 hil adumbrare, nihil adsentari, nec posse χαρ-
 τολωσῆν, & genere iocandi quodā Veronen-
 sem esse dicerent, non Placentinū, deniq̄ ve-
 ra pro gratis loqui. Ceterū Monlucium par-
 tem consilij regij cū esse indico satis hoc vno im-
 probo, quod ille impudenter iactat Monlucium
 à Rege mercede conductum. Exteros enim cō-
 ducimus, utimur nostris, rei nostrae conductio
 nulla est. Et ad mentendū quod adijcit, falsa

Pseudozachariae oratio est, falsæ scilicet no-
 minis oratio falsa, quam satis, ut supra docui,
 vita superat moresq; Monlucij, nisi mendacia
 appellat laudes virtuti Principis debitas red-
 ditasq; cum de regno Polonico haberentur Co-
 mitia atque conciones, ductas ab illustriori do-
 mo totius orbis Christiani, ab ætate iusta Prin-
 cipis, à rebus iam domi militieq; præclarè ge-
 stis, à modestia, liberalitate, cæterisq; virtutibus
 Regio folio dignis. Hæc sunt tibi Pseudozacha-
 ria mendacia. Esto, sint, nec iam igitur deinceps
 te arbitro ulli sint pararij, nulli sequestres pa-
 cis, nulli nuptiarum conciliatores, nulli lauda-
 tores, nulli nominatores, aut si Monlucio ite-
 rum esset idem insinuandus Princeps te consul-
 torem, si sequeretur sceleratum, diceret, sordi-
 dū, ignobilem, & cætera usurparet, quæ tu in
 eum stultus stultè iactasti, quod non possit, nisi
 euaserit tui similis, suamq; mentem opleuerit
 omni genere vitiorum, mendaciorū, calumnia-
 rum, spurcitarumq;, & vel sibi potius terram
 debiscere præoptauerit. Penè præteribam stu-
 dia adserende veritatis, impugnandiq; menda-
 cij, quæ in Monlucio extiterunt luce clariora,
 quandiu ei Valentia suo munere fungi, profice-
 ri & annunciare verbum Dei licuit per vos,
 hoc est, tuis moribus adsimiles, nec enim im-
 probi

probi estis omnes. Alij vestro incedunt templo
 equo & plano, tu, tuiq; sacellum aliquod angu-
 larium obsident, quod tamen numerum vix ca-
 pit, templo liberum spatium est. Vos, inquam,
 abruptis pijsissimis pijsissimi hominis studijs a-
 ctionibusq;, inuasistis Valentiam perditam proin-
 de, ac ceteras omnes partes regni huius contur-
 bastis, confudistis, cruore compleuistis, intenta-
 uistis etiam eidem Monlucio necem: nec iam,
 vt opinor, miratur, se ab eis infamibus verbis
 impeti, qui suum sitiêre sanguinem: dolent sci-
 licet deesse tantum sibi approbatorem facino-
 rum suorum, dolent quod non eodem & ipse fu-
 rore pellatur ad vastationem regni, dolent con-
 trâ, quod omni opera obsistat furori tam fune-
 sto, inclamet, insurgat omni tempore, locoq;, iu-
 xta Nestoris sententiam, in eos, quos delectant
 maxime discordie, caedes ciuium, populatio-
 nes, grassaturæ, latrocinia communia, & qui-
 bus pretium curæ hoc vnum est, summa iniis
 miscere, nihilq; pensi habere prorsus ad tuendam
 societatem humanam, tuendos priuatos focos,
 legesq; publicas, ac ne ad tuendam religionem
 quidem veram, quam obtendunt, induentes per-
 sonam moresq; Satanae, qui sub specie religionis
 plerumq; decipit incautos, à qua tamen abhor-
 ret, longeq; distat, & tui quoq; similes vel eie-
 rant

et ante religionem omnem, vel hanc suam non
 minus derident quàm inueteratam inolicamq;
 diu, vt nuper accepi vnum ex vestris Impera-
 toribus tres menses antequam è muro oppiduli
 cui præerat, decideret & moreretur, transeun-
 te ministro siue concionatore, qui rarus tunc
 fortè aderat, edixisse militibus, procedenti vo-
 bo Dei, vt decederent de via. Sed quid ago? ab-
 erro, nec insequor ordine, quod restat operis elo-
 landi tui. Non vno illo libello tantùm Pseudo-
 zacharia quem potissimum mihi castigandum
 delegi, hoc in animum induxisti, vt sanctissimi
 & præstantissimi viri laderes existimationem,
 quæ inuulnerabilis retundit tamen eluditq; ce-
 la omnia vestra, nec ladi aut minui vllò modo
 potest, sed & nisi fallor alio nequissimo & im-
 purissimo libro, cuius titulũ nunc nõ possim es-
 se p̄pore latino, nec nisi ἐλεεινὰς Græco sermo-
 ne Gallici vice vocare, & vtriusq; inspectio vel
 te solũ, vel si estis diuersi, vos arguit ambo De-
 nullũ adorare numen, vix enim possit vel leui-
 tinctus cognitione Dei, vel leui percussus metu
 tot tantaq; excogitare in principes, & ad finge-
 re flagitia, quibus ne vilissimus quidẽ ganeo vl-
 lus, aut lanista, aut prædo coopertus possit esse
 omnibus. Solis nimirũ impijs licet hodie quales
 vos prodit esse omni ex parte oratio vestra in
 princi-

Principes, in principum legatos, amicos, domesticos, subditos, in omnes probos: non quomodo liceret in perditum, profligatū, deploratum nebulonem aliquē debacchari, sed ultra etiā eum modum, ultraq; capacitatem sceleratissimæ mentis. Et hi tamen in piorū censum irrepunt, & ut pii censentur inter pios, & laudantur, aut conuiuentibus oculis sanè calumniæ eorum, & probra faciliè tolerantur ab his, quibuscum animam placidam & tutam viuunt. O quantum hæc res religioni vestræ odium, quantam offensionem parit: quantum decolorat decoris nitorem, quo splenduit initio, quancūmue ex eo decerpit, quo claruit olim priusquam de scammate legitimo pateret egressus, & ageret nemo, quod agunt ferè omnes hodie certatim, excipio paucos priscae probitatis, & omnes cum dico, *πολλοὺς* dico, siue plurimos, quod nomē in malis vsurpauere veteres Græci, Latiniq;. Et hoc sensu rectissimè vetus poëta quidam, quod & his conuenit propriè:

Vni se atque eidem studio omnes
 dedere & arti,
 Verba dare ut cautè possint, pugna
 re dolosè,
 Blanditia certare, bonum simulare
 virum, &c.

Insi-

Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Quamobrem ut idem vel alius poeta ait:
Vigilandum est semper, multae insidiae sunt bonis.

Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni.

Sed iam missa causa publica, ad principes mihi, ad Monlucium redeundum est, & mox forsitan erit prout series & nexus conuictorum tuorum Pseudozacharia feret, resumenda causa publica. quanquam si verum amamus, una communisq; omnium est causa, nec deerro à re, si promisceo nomina principum, publici, Monlucij. Certè principum communis cum publico res est, certè Monlucij publicae personae, & publicae causa, atq; adeò publica, quae Monlucio infertur iniuria. Quid verò post superiora conuicta agis, quid tentas Zacharia, quò pergis insanus? Regem facis auctorem cadis patre in Gallia ab hinc annis duobus, facinoris patrum Monlucium improbum, impudentem, intestabilem, audacem, impium, exundat oratio conuictijs quae vimirum prodit ex animo facundo in conuicta, proinde ac cecinit Aeschylus:

τῶν τοι ματαίων ἀνδράσι φρονιμάτων
ἠγλώω' ἀληθείης γίνεται κατ' ἠγοροῦ.

Agendum excutiamus rem istam diligentius: maximus in ea vertitur cardo. hæc vna te res perduxit ad insaniam, vel potius hunc tu malicie tuæ & contumacia quæsiuisti prætextum non minus sanguinarie, imò si quò magis quàm qui sanguinem illum, quem luges, effuderunt. Index animi scriptio tua feralis, cruenta, manas. Non potuit Monlucius antequam in Poloniam proficisceretur, eius rei patrocinium suscepisse, quæ nondum euenerat, ac ne venerat quidem cuiquam in mentem. Et verò nec suscepisset unquam, & legationis quoque periculum adire retractasset, si quid eius rei præsciuisset, nec etiam Principes, quibus erat carissimus, si quid eius sciuisset, designassent. ue, profectò in tam euidentem eum periculum coniecissent, legationem nec iniunxissent, quam futurae cadis constij merito suspicari poterant inanem fore, maxime apud eos, qui in Polonia partes amplectuntur & defendunt vestras, quorum si non numerus, auctoritas certe in eo regno non minor est quàm Catholicorum. Et quod initio contigisse in Gallia Monlucius negauit, aut si cõtigisset, non iussu Principum factum, aut si iussu principum, magnam igitur iustamq; aliquam interuenisse causam, ut præsumebat, ita adfirmavit, nõdum accepto

certo nuntio, quos ex animi sententia potuit alios incidere sermones, cui res videbatur incredibilis, cui notissima erat iustitia principum, neque verò quasi penuria argumentorum, ut impudenter adseuerat Pseudos ille Zacharias, quo innocentiam principum comprobaret, & odium eius rei à tantis principibus dimoueret in alios, vllam ex ore & vultu eorum legetur in defensione illa sumpsisse coniecturam, qua tamen qui videtur, non video cur à Zacharia derideatur potius quam arrideatur, siquidem legimus vultum esse imaginem anime tacitumque sermonem mentis, & ex eo sepe animaduertimus certissima signa duci vel clementie, vel seuitie, nec frustra doctissimos viros dicere, ut legimus in veterum rhetorum panegyrico quodam, naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse, quantus illa caelestis spiritus intravit habitator. Et hic tamen crater mendaciorum absque te in Monlucium sustollit cachinnos, dum ipse sibi fingit hanc eum de vultu fecisse coniecturam, quod vel unum satis comprobat, quam ferream frontem gerat, qui scribente Monlucio, nulla in suo principe unquam apparuisse vestigia feritatis, praesumit statim ex vultu ab eo duci coniecturam, nec minus impudenter in ea parte, quae

de puniendis hereticis est exemplo aliorum principum Montucium expurgare ait de hereticis iubente Henrico II. sepius sumpta supplicia. nec enim hac leui excusatione Montucius vnus est vnquam, quod idem fecerit Carolus Imperator, idem alij principes, sed mirari se tantum scripsit, quod parcerent ceteris Zachariae populares, de solo Rege Gallia querelam instituerent, certissimo argumento male affecti animi erga nos quem si aliter affectum habuissent, capere noluerunt, nequiuertuntue Montucij sermonem, beneuoli facile tenuissent, competitoribus scilicet posteris Caroli Imperatoris hoc vnum sensisse Montucium non esse causam repudiandi principis sui, quod filius esset Henrici II. qui poenas sumpsisset de hereticis suo communiq. iudicio omnium Gallia curiarum collegiorumq. de fidelibus iudicio vestro, aut eadem ratione etiam repudiandum esse Archiducem Ernestum, quorum parentes idem admisisse. Ceterum & quod tantoperè facta Henrici II. incusas exagitasq. Zacharia, in eo ne pilum quidem vnum habere te ingenui & sinceri animi planè cognosco, qui manifestò dissimulas ignorare te qua mente ad hæc Henricus optimus maximus Rex prosilierit, quæ sola tamē factorum iusta estimatrix est. Lex

b 2

mentem

mentem punit, inquit quidam, & alter, quia mens est quæ peccat, non corpus, & vnde consilium abest, culpa abest. Et conuenienter Epicharmus ὄρεσ' ὄρεσ' καὶ ὄρεσ' ἀνδ' . Quæ mens Henrico regi fuerit, quæso videamus. Lex erat vetus, quam nec vos improbatis, de hæreticis solum menda esse supplicia, legum custos Rex, animaduersi quicumque, sunt eo tempore, iudicio Senatus & omnium ordinum qui de literis iudicare poterant, hæretici esse censebantur, sanè & seditiosos esse testificabantur sacratæ hostiæ valuis ecclesiarum affixæ tunc temporis, & solemnî die ferenti Sacerdoti è manibus auulsa sacra, & plebs in arma concitata, & alia pleraque nefaria: sed seditio sola, supplicio digna erat: quid praua de religione opinio? vos prauam fuisse inficiamini: idem inficiarentur Arriani si cum eis res esset, idem ceteri quos consentientes nobis & ipsi damnatis, & hac se via tuerentur hæretici omnes celebria, ut soletis, suæ opinioni, sanctaque nomina prætenderent, Deum, veritatem, puritatem, ut qui se Catharos, qui Encratitas, Angelicos, Apostolicos, Gnosticos nuncupabant, & hisce contraria diuersæ parti affingerent, Satanam, Antichristum, imposturas atque mendacia: si quæ verò adhuc in ea parte essent perspicuæ exiuiæ religionis veræ, eas quacunque ratione

vel limarent, vel occulerent. At Henricus o-
 ptimus maximusque Princeps, qui vestris mi-
 nimè traducebatur opinionibus, qui affixus
 hærebat pietati prisca, inq̄, familia sua, regnoq̄,
 suo insita, inolitæq̄, qua pietate complecteretur
 religionem suam, quam non possis ipse negare
 fuisse Christianam, nec adeo dissimilem tua, si
 abesset peruitacia, & qui malus te tuosq̄, trans-
 uersus agit, genius mensq̄, mala, non potuit, in-
 quam, explicatius ostendere studia erga reli-
 gionem sua, quam studio pellendi religioni sua
 hostes seditiosissimos & insensissimos. Debuisse
 scilicet, inquires, eum diligentius explorare pon-
 dera, momenta, merita causarum. quid quaeso
 audes? quid concedis Regibus? omne arbitri-
 um. etiam legibus soluis? admodum. ô quanta
 perniciēs, si res ita se haberent, si regerentur
 nutu vnius, non legibus certis. Fac Regem
 esse Arrianum: quid ageres si Constantius
 Constantini filius rerum potiretur? quid nos?
 non liceret leges appellare, moresque & insti-
 tuta patrum? qua in præcipitia prolabaris,
 miser non vides, non sentis, non intelligis? Sed
 quid mirum si Henrici II. seueritatem legiti-
 mam damnas, qui & clementiam filij eius Ca-
 roli 9. qua prima dos est principum, conteris
 conuenientem sententia veterum Sacerdotum,

& adeo inimicissimus regie nostrae es, ut omne
 quidquid ex ea prodit vituperes, siue seueritas
 sit, siue clementia, malè conciliate omnia in
 vitium vertis, quo verò modo, paulum attenda-
 mus. Est, inquis, in speciem aliquid edicere, ne
 quis religionis quam vos certè speciosius refor-
 mata nuncupatis, deinceps pœnam sufferat ul-
 lam. Caterùm euentus nò respondit edicto, quin
 imò edicto succedere facta contraria, interem-
 ptis innumeris & multò pluribus sub Carolo,
 quàm sub alijs Regibus cecidissent, & longè de-
 teriore via, nèpe manu & viribus, cum in prio-
 res legibus agi soleret, adeo, ut supposita fuisse
 videatur tibi plane indulgentia principis dolo-
 sa fax, quæ incenderet priuatos ad necem innume-
 ram. Sic sane fuisset innumera, & auctori-
 tate magistratum, ne dicam priuata interissi-
 sent 20. millia hominum, nisi rex frenasset im-
 petus, & fuisse quoq; non possis sine rabore, sed
 me corrigo, possis, qui iamdiu os perfrenuisti, ad
 firmare innumeram, cum re vera duo aut tres
 tantum constet, antequam vlla mouerentur ar-
 ma interfectos, vel priuati iurgij causâ, ut ad-
 solet in Gallia plurimum, vel in vicem casi
 vobis Lutetiæ Chiarrij in ipso comitatu Regij
 & Fumelli trucidati domi suæ vnâ cum vxore
 quod vni ex beneficiarijs suis, diacono ecclesie
 vestrae

vestra fustem imegisset. & Bernctari quoque
 domi suæ, dum cenat cum vxore & liberis in-
 terfecti crudeliter, & aliorum multorum no-
 bilium, de quorum mihi nominibus liquidò non
 constat. Populi verò furore impatientis licen-
 tiæ, audaciæ simul ac impunitatis vestra, quod
 accidit Cadurci eodem tempore, quodq; pace se-
 questra fecere Ambiani, Rothomagenses, Tu-
 rones, hæc omnia quis nescit iussu principis fuis-
 se vindicata maximis grauiissimisque pœnis, in
 Ambianos misso Cossæo, in Rothomagenses
 Mommorencio, in Cadureos Monlucio, præse-
 tis rei militaris, nec non adhibitis Senatori-
 bus quibusdam, in Turones autem misso præsi-
 de Ferrerio, viro vita innocentissimo, & omni-
 bus virtutibus ornato, quas vel mortalis na-
 tura recipit, vel industria percipit, magno &
 incõparabili non fuit tantum, sed omnis aui lu-
 ris consulto, cuius mentioni quæ semper mihi in-
 cundissima fuit, hanc causam dedisse locum, ma-
 gna mihi letitia est. Contrà his, si vis, addam
 quot quantòq; à vobis priuatim publiceque
 aliæ in pace patratæ sint cedes, & non nisi
 exemplis vestris edoctos Catholicos ostendari
 euasisse, vt dicitis, crudeles, & vobis reposuisse
 paria, vix autem te velle putem, hæc vt enar-
 rem, qui, nisi me fallo, pernegas paria vobis ex-
 cidisse

cidisse unquam. Enim verò, ut veterum qui-
 dam ait, cui placet, obliuiscitur, cui dolet, me-
 minit. Vos obliuiscimini facinorum vestrorum
 aut certè ea aeterna memoria consepeliri, & eo-
 rum mentionem haberi nunquam concupiscitis.
 Catholici qui suos lugent, qui tostos altos tem-
 plorum conspiciunt parietes, qui ades maioris
 flamma deflagatas, agros opertos situ, squalo-
 re, vastitudine, violata asyla mortis, incensa
 vel disiecta publica librorum scrinia sine villo
 delectu, qui hominum atq; pecudum actas præ-
 das frustra requirunt, patria, fortunis expe-
 tes, qui stipem rogant, non possunt non memi-
 nisse plus quàm barbaricæ immanitatis vestrae
 cuius ego descriptionem inferiori sermone re-
 seruo: nec enim hoc impetrabis à me, ut de cui
 conticescam, qui nostra, quæ scilicet à vobis di-
 dicimus, exaggeras quàm altissime potes. Et
 transeo ad ea, quæ ut ter à rege violatam pacem
 approbes, adsumis & ita concludis, ut tibi nec
 volens lectis solis rationibus tuis quidquàm quis-
 quam concessurus sit. Legebas in Montucij de-
 fensione tantùm abesse, ut rex de violanda pa-
 ce vobiscum pacta cogitaret, ut ad conditum in-
 ter vos diem S. Michaëlis inermis is penè sit à
 vobis oppressus, obsessus verò mox vsque ad
 eum finem, dum coacta essent copiae, quibus fre-

tus Lucetia egredi posset. quo planè indicio cer-
 tissimo proditio & perfidia cōvincitur vestra.
 superdicis, regem post pacem vobiscū pactam
 integrum triennium consumpsisse stipatum mi-
 litibus, & penè exercitu iusto in peragrando re-
 gni sui prouincijs, & inferis, aduersus vos igi-
 tur eum parasse bellum. O quàm absurda colle-
 ctio. Dixisses potius mentis tua si compos fuif-
 ses, vel potius si sanior te possideret mens: Rex
 integrum triennium armatus consumpsit in
 peragrando regno, nemini nostrum nocuit, pa-
 cem vbique fundauit & constabiliuit: proinde
 nullum parabat nobis inferre bellum. & illa
 etiam quàm fallax & stulta collectio sit, esti-
 ment sani: Rex multis locis propugnacula con-
 strui curauit, multis praesidia imposuit. Ergo
 de bello nobis inferendo cogitabat. Quin pro-
 babilius, Rex vbiq; praesidia collocauit, turres
 exadificauit & arces. Ergo pacem his firma-
 mētis munire voluit, ne quis aduersus eam de-
 inceps quidquam auderet, ne quis eam infring-
 eret, ne quis deinceps vrbes suas inuaderet,
 plebem expilaret, permisceret caelum & terras,
 concuteret statum regni, & in praeceptum rur-
 sus idem atq; anceps periculū adduceret, & qui
 multis aut omnibus locis hoc curasse regem scri-
 bis, non possis ostendere tamen, nisi Lugdunum

& Aureliam. Ceteras partes regni adeo nuda-
 tas praesidijs celeberrimo illo die S. Michaelis
 inuenistis, ut plusquam CC. ciuitates vel op-
 pida scelerata conspiratione vno die subtraherentur
 imperio regis venerint in potestatem vestram.
 denique nulla possis idonea signa dare, quibus
 efficias regem de violanda pace cogitasse. nam
 quas praeterea garris suspiciones nemo non di-
 xerit esse futiles & vanas, regem regni sui eos
 fines adusse qui attingunt Hispaniam ut soror-
 rem inuiseret illustrissimam Hispaniae regi-
 nam, maiorem & frequentiore legationem
 misisset ad Catholicum Hispaniae regem, habuisse
 in Gallia regem secretiora saepe consilia. quibus
 ni? regij & quotidiani moris haec sunt, & pro-
 sancta aq. quid verò ad te pertinent, custodem
 suspiciosum & ridiculum actionum alienarum? quae
 te furiae exagitant, quae umbræ, ut & quodidua
 na dimoueat à recto statu mentis? num regem
 vis nihil agere rerum te insciente, inconsulto
 (te cum dico, tui similes dico) nihil curare rem-
 publicam? quid deniq. rempub. permitti arbi-
 trio tuo? occidari regem & agere nugas, ut vobis
 interim liceat veluti consopito & consepulcro
 vastare & excindere, quaecumq. reliqua nefarijs
 consilijs vestris impedimentum adferre possent,
 ac tandem quodiamdiu captatis, dominio poti-

ri rerū? Hæc mens vobis? hæc fides? hæc actio-
 num vestrarum finis? hæc religio? ô conclama-
 ta & profligatissima ingenia. Deus bono sit-
 ua, parce, vigila, multa insidia sunt nobis. Cir-
 cumuenimur, perimus nisi subuenieris, non vi-
 dremur cum demone conflictari, necis vide-
 retur erga nos & satis suavis fra hominibus
 his quibuscum conflictamur, nisi beneficio tuo
 per hos demonem suas in nos inimicitias exer-
 cere cognosceremus. te adoramus, veniam pe-
 tentes, hunc beneficio addas aliud, ut qui iusti-
 iam diu, & palam triumphes, ut agnus didocif-
 simus ille tuis, qui occisus est pro nobis, vin-
 cat, & vix tandem recipiat vnusquisq; merce-
 dem suam secundum quod facit dicto rna a ter-
 na, fidelis & verax. At ut de suspicionibus
 quod residet persequar, si qua etiam super eloc
 vobis meliores probabilioresq; non erat sanè
 confestim ex suspicionibus iusta causa violan-
 de pacis. alioquin perfidie sua quisque hanc
 aptaret causam, nullaq; adeo sancta fides esset,
 ut suspicione violari nequiret. vos igitur possi-
 mi, vos, in qua eo tempore primi violastis fæde-
 ra pacis, iurissurandi religionē, regem, repub-
 lica omne, priūq; & qua nulla maior impudētia
 excogitari potest, vitia, modo que sunt vestra
 propria ingeniaq; in nos deriuare contamini.

E. iam

Etiam residet adhuc vna vt tibi videtur suffi-
 cio magni momenti, quod Heluetiorū sex milia
 ad se rex euocasset, quam in illa defensione
 cum repulisset satis Monlucius, & ita vt dice-
 ret moris esse regibus nostris, cum in Belgia
 cōparatur exercitus, quod ibi tum agebat dux
 Albanus, & secundū se aliquas cogere & in-
 struere copias, ne si quid fortē in se Belgæ re-
 tarent, subito opprimerentur: id tu elidere co-
 naris hoc modo, nullam fuisse causam munien-
 di se aduersus Belgas, quorum princeps regi-
 rat arctissima necessitudine coniunctus, ita
 ac si milites sepe non indulgentiam potius de-
 cum sectentur, quā voluntatem, & in omni-
 scelera prorumpant. & ad hæc, quæ fuit vniuersa
 natio, quæ non sumpsit arma, vicinos popu-
 los, etiam si amicos, vbi sensit legere militem.
 Memini Carolo V. Imperatore multis ma-
 gnisq; copijs instructo in Germania, Henricū
 regem, quantumuis licet certa esset inter eos
 principes amicitia, nec incertum quid molire-
 tur Imperator, & suas vicissim instruxisse co-
 pias, & euocatos ex Germania auxiliares per
 annum integrum penes se habuisse multos. E-
 nimis porro. Deprauas omnia atq; deformas ma-
 gis initio, adiiciens non fuisse tum occulta con-
 silia Guisianorum, quibus vos totis viribus oc-
 currere

currere necesse erat salutis vestrae tuendae cau-
 sa. nam si hoc vos potissimum ad arma perpu-
 lit, cur non Guisianos mox ab aula digressos
 potius, quam regem adorti estis? cur Guisianis
 possessionibus pepercistis, regias quantum li-
 cuit, occupavistis? cur in libello quem tunc no-
 biles partium vestrarum obtulerunt regi veluti
 supplices, nullam consiliorum à Guisianis con-
 tra se habitorum fecere mentionem, nullam de
 religionis libertate quae erat integra, sed de sta-
 tu tantum publico regni, de tributis, de vectiga-
 libus, de civilibus officiis? hoc nescis stulte? &
 aliam tuo Marte tibi abrefacis causam, qualē
 qualem, ut libet, qua expies scelus inchoatum
 festo illo S. Michaëlis die? Memini eundem
 Monlucium, quem tu potissimum incestis, per-
 missu regis esse ad nobiles, qui hunc sibi impe-
 tendo regi condixerant diem, & hac ferè quae
 summarim referā, insonuisse surdis summa cum
 libertate, & integritate. Quid hoc rei est, nobi-
 les? Quò mentes? quid vobis vultis? quid agi-
 tis? quid meditantur quae huc ventio est? non iam
 existimatio curat non quid de vobis existima-
 turi sint principes ceteri? quid sapientes? quid
 posteritas? Quis tam faelix vobis corrupendis
 fuit? inermem armati regem vestrum adorti
 estis, & Lutetiam ut se properato itinere con-
 ferret,

ferret, compulistis. Si non est vobis mens vlla
 in regem praua, si non intemperantes sunt ani-
 mi, intemperantes manus, cur eū adhuc armati
 Lutetia inclusum obsidetis? o quanta hodie la-
 bes religioni per vos inuritur, cuius vos esse
 fautores profitemini? quanta sanctissimo no-
 mini Dei, quo abutimini, blasphemia? Et inter-
 rim aut ego aut vos desipitis, nisi prospicitis
 exiguiore esse vestras copias, quam ut omnes
 Lutetia aditus obsidere possint, ac vix aut ne
 vix quidē huic rei sufficere armatorum millia
 centum, quid hic igitur frustra teritis tem-
 pus? quem tandem ex ista pertinacia referent
 fructum praeter infamiam, iramque regis pe-
 nē implacabilem? Et quod ad libellū regi obla-
 tum attinet, equidem non ediderim alium, si
 de ea esset agendum, imprudentiae vestrae in-
 stem. nihil in eo de religione, nihil de salute ve-
 stra, quandoquidem nulla etiam subest regem
 ex postulandi causa de hac vel illa re. Sermo
 omnis est de habendis comitijs, de minuendis
 collationibus, de ordine ciuili. quid desidera-
 tis? moniti quaso animaduertite, si haberen-
 tur comitia, exiguum numerum vestrum faci-
 le vincerent Catholicorum suffragia, quorum
 longē superior turba numero auctoritateque
 & de collationibus, quibus vos nobilitas exte-
 mit

31
mit vestra, tantumne otij vobis est, ut souicitu-
sus qua de re nulla ciuitas queritur, nulla de-
dit mandata, eam proferre in medium vobis o-
cium voluptasque est? quid si idem in vos aude-
rent subditi vestri? vel potius quid si pariter
his silentibus alij nobiles vos pro his armati in-
terpellaret, vrgeret, obtestaretur? Redite, redi-
te via, & his inhorrescite ausis pœnitentia pro
innocentia erit, & maior ex ea laus, quã ex erra-
to vobis parabitur nota, imò omnẽ ad quietam
mentẽ regressus delebit & expunget notã. Hac
aut his similia dicere Monlucio, certò scio Car-
dinalẽ Castilloncũ, Andelotiũ, Comitem Sal-
tus, Comitem Rupefocaldum, qui ei propinqui
aderant, quantumuis licet in vestrorum nu-
mero essent, libenter audientes addidisse animos,
incitasse, exacuisse, dicentem libere vt cepe-
rat, vt persecaret & enodaret rem. Non eodem
omnes ducebantur spiritu, plerique iniuriam allu-
debant principi Condæo, eiusque partibus semel
immersi nec poterant reuocare gradum. deni-
que aduersus regẽ vel pro religione agri arma
ferebãt, & suspiria sæpe ducebãt, cuius rei sum-
optimus testis, quod seducti tã facile in eas par-
tes concessissent. Vtrumq; esse nefarium contra
regẽ, contra patriã, contra eiusdem ciuitatis ci-
ues, contra parẽtes, cõtra liberos arma capere,

& neq, solem vereri qui cuncta tuetur, neq, ma-
 gnum & peruigilem oculum cuncta pollentis
 Dei, neq, patriam qua genuit, qua eduxit, qua
 ingrata proli ingemiscit sua. Sic enim de hisde
 Demosthenes, οὐτε ἴ ἡλιον ἢ χάροντ οὐτε αὐτῶν
 γυῖα πατρίδα εὐλογεῖ, & alio loco eleganter τοῦ
 τοιαῦτα περιεῖντας αὐτῶ ἐαυτῶν πατρίδα ἀκρο-
 τιπέριάζει, quod alij ἀκροσ μῆσαι. Aque inter
 Christianos de certis opinionibus disceptare at
 mis impiissimum esse, nunquam ecclesiam Dei
 caruisse certaminibus, nunquam de his tamen
 Christi fideles seruos armis decreuisse, morien-
 do, non occidendo, fidem conseruisse Christi, qui-
 rum & hanc piissimam vocem esse: cui bello ni-
 idonei, non prompti fuissetus etiam impari
 copijs, qui tam libenter trucidamur, si non per
 nostram disciplinam magis occidi liceret quam
 occidere, nec absimilem apud Philonem Iudaeo-
 rum, Petronio Syriae praside Iudaeis insultan-
 te, & eorum in templa quod omnium maxime
 detestantur, inferere Gaij Caesaris statuas, cum
 coissent in vnum totius Syriae Iudaei tanti pic-
 culi arcedi gratia: inermes, Petroni sumus, ut
 vides, ne quis nos dicat hostilem in modum se-
 ditiosos esse, manus pro armis natura datas, et
 etiam post tergareuinximus, exhibemus cor-
 pora telis, vxores, liberos, familiā adducimus,

supplices ad genua accidimus tua, Caesaris no-
 men implorantes & orantes, vt vel nos omnes
 seruet integra illa saq̄ religione nostra, vel per-
 dat simul religionem, simul nos omnes, ne patia-
 mur viui rem morte grauiorem. non ita insa-
 nimus, vt serui domino nos opponamus, liben-
 tes deprendet vis Caesaris, & abire paratos.
 Optandum esse nobis vt hic cum Iudaeorum, à
 quibus Christiani profecti sunt, tum piorū Chri-
 stianorum exemplis haec moneatur aetas, & vt
 mittantur innumeri qui ad testimonium vo-
 cari possent, cum iuuantia non mediocri se me-
 moria repetere dicebant quod Gregorius Na-
 xianzenus scribit, persecutoribus Christianos,
 quantum in ipsis est, parcere oportere, nec vl-
 lum eis creare periculum, & quae sita Gregorij
 verba haec esse reperi: $\chi\rho\iota\tau\acute{\iota}\varsigma\ \tau\omicron\upsilon\varsigma\ \chi\rho\iota\sigma\tau\iota\alpha\upsilon\delta\epsilon\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \tau\omicron\upsilon\varsigma\ \delta\iota\alpha\kappa\omicron\upsilon\tau\omega\upsilon\varsigma\ \phi\rho\epsilon\iota\delta\epsilon\sigma\theta\alpha\iota$, $\omega\varsigma\ \tau\omicron\gamma\epsilon\ \epsilon\iota\varsigma\ \alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma\ \eta\kappa\omicron\rho\ \mu\acute{\epsilon}\gamma\omicron\varsigma\ \mu\grave{\eta}\ \tau\omega\delta\ \kappa\iota\nu\delta\alpha\omega\ \tau\iota\ \sigma\upsilon\nu\epsilon\iota\sigma\phi\acute{\epsilon}\rho\epsilon\iota\nu\ \tau\omicron\upsilon\varsigma\ \pi\omicron\lambda\epsilon\mu\iota\omega\upsilon\varsigma$. Et ad extremum addebant se
 contremiscere, quotiens à cade redeuntem ali-
 quem ex suis plerumq̄, ita efferrī & commen-
 dari audirent, *Macte, ô bone, manus tuas san-*
guine malignorum consecrasti Deo. Sed de his
satis. Redeamus ad te Zacharia, vel potius ad
Acharin Zachariae libellum, & de vexata il-
la iam tot libellis vltro citroq̄, cade tractemus.

Exardescis in Monlucium, qui occubuisse Lu-
 retie mille & 200. nobiles, cum esset in Polo-
 nia, negabat, & numerum proferebat non
 Catholicis emissum, ut tu impudenter affirmas
 solens more tuo, sed à te forsitan ipso, certe ex
 fami illa scriptorum familia, unde tu prodissis
 principibus obtrectantur, quo 40. tantum, aut
 50. continebantur, & in his serè 12. qui spirant
 adhuc, & formam hominum habent, cui tu nu-
 mero quando derogas fidem, & adeò proiectus
 es ad mentiendum, quaso edas tu ipse numerum
 alium occisorum, hærebis in ipso capite, sat sciri
 & vix te expedies, vix insolidum mille & 200.
 efficias. verum aude, & fac delicias nobis, re-
 fusq; moue, licet tibi, qui semel à pudore desic-
 stis, insigniter impudenti esse. stomacharis rus-
 sus, & grauiter inardescis, quòd iussu principi
 negauerit Monlucius patrata illam cedere
 defungens scilicet munere iniuncto sibi, ut
 apud Polonos excusaret, extenuaret vel negaret
 factum: id verò nunquam ei iniunctum fuisse
 iam antè dixi, & iactari hoc magis à te quàm
 verum esse, ut ipse non dicam, conuenire inter
 omnes Polonos promiscuè puto, si recordantur
 Lansacium longè post aduentum Monlucii
 apud eos ista præcipuè defunctum cura: ne
 quidquam vetat, si quam rerum humanarum
 peritiam

peritiam habes edicto, tamen Regem facti in se
 vertisse periculum, ut id auerteret ab vniuerso re-
 gno, quandoquidem certum erat, si proditi nul-
 li auctores fuissent, aut si alij quàm principes,
 aut si non ipse solus, pessum itura omnia in Gal-
 lia vno quæq; audente passim citra auctorida-
 rem publicam similia perpetrare, nec sanè ea-
 mens falsum Regem habuit, quandoquidem ex-
 ceptis paucis locis tota se in officio cōtinuit Gal-
 lia, nec quidquam, etiamsi fremerent multi spi-
 rantes minarum & necium perausa est *Ultra*.
 Ceterum tam prauus animus Regi sine exem-
 plo pijsimo iustissimoq; nec minus in vos (hor-
 reo dicere) hostes quàm in suos clementissimo,
 nisi quæ grauissima eum permouisset causa, ma-
 ioris puta arcendi periculi nunquam fuit, ut
 vbi nihil hostile erat, ipse faceret, quod & pro-
 palam testatus, nec minus quàm vos bilem tan-
 tam vulgi abominatus est. Sæpe, nec minor fuit
 indignatio Monlucij in omnia humanitatis e-
 xempla geniti, & sui imparis in demerendis ho-
 minibus, & cuius legationi tum nulla res magis
 quàm is casus poterat officere, vnde liquet sanè
 nunquam suscepturum eam Monlucium fuisse,
 si sciuisset Lutetia fore, ut is qui haustus est,
 hauriretur sanguis. Et contra vteris tu tamen
 ad reuincendâ Monlucij conscientiam conie-

Aura huiusmodi. Monuit paulò ante quàm in
 Poloniam proficisceretur, & strages illa Luce-
 tie horribilis fieret, Comitem Rupefocaldum
 pro amicitia quæ sibi cum eo intercedebat, in
 Lutetia excederet, seq̃, domum capefferet, quod
 utiq̃ non fecisset, si futurae cædis nihil penitus
 cognouisset. Falleris: multa aliæ causæ mouerunt
 Monlucium potuerunt, quàm sola animi sui
 conscientia. Non erat ignarus Monlucius populum
 vastatam igni ferroq̃, Galliam per multos an-
 nos, quo fastu, quo supercilio, quo comitatu se-
 ptus Admiralius ille factionis vestræ princeps
 venisset in aulam, quàm se gessisset insolentem
 quàm magnificè loqueretur, & vel voce vel ge-
 stu hæc ferè iactare videretur effrenus, Is ego
 sum, ô Rex, (mea voce audis meos) qui te regnum
 spoliare omni ope annisus sum, qui pellexi in
 hanc ipsam rem principes tibi sanguine propositos
 quos, qui impleui aulam tuam proditoribus
 qui vrbes, oppida, castella regni tui innumeros
 partim occupauit, partim deleui, qui templis re-
 ligioni tuæ dicatis inieci ignes, qui sacris mi-
 meosq̃, vasis, vestibus, donarijs, capsulis ditatis
 qui accersui insulares veteres hostes Gallici
 minis, qui Germanos tibi charissimos pecunia
 tua tuorumq̃ correpta in Galliam conciuui atq̃
 perduxit, qui fiscos, qui araria cõpilauit, qui cor-
 flauit

flauitormēta bellica, qui auream argenteamq̄,
 monetam abusus tuo nomine, qui iuratam pa-
 cem irritam feci, eluso nomine Dei, qui auorum
 & abauorum tuorum sepulchra reseraui, ossi-
 bus etiam per deridiculum lusi, qui nec priua-
 torum viliſſimis arcis, loculis, ossuarijs peper-
 ci, ac veluti hyæna inquisitione cadauerum bu-
 sta violauit omnia quacunque potui, qui cruces
 pia peregrinantium, pia nostræ salutis indicia
 disturbaui, signo ipso crucis, quod ad omnem a-
 ctum, ad omnem incessum nunquam non adhi-
 buere piſſimi Christiani, abhorruui, nec nisi euen-
 tilandis muscis id esse vsui iocatus sum, qui sa-
 cras virgines ludibrio habitas claustris eduxi,
 qui Sacerdotibus religionis tuæ, qui monachis
 membra reliqui sine viro, laniaui viscera, qui
 magistratus quos tu creaueras, abrogauit, alios
 meo arbitrio feci, aliumq̄ ordinem iuris, qui re-
 gem vbiq̄ gessi, forum egi, vectigalia imposui no-
 ua, indixi pœnas, indixi præmia, legatos ad e-
 xteros transmisi atq̄ recepi, stultitia mea per-
 uagata etiam ad exteros suæ rei parum consul-
 tos, dum se alienæ admiscunt inconsideratè, ego
 is sum qui literarum scholas omnes dissipauit, li-
 bros, census, monumenta publica quacunq̄, per-
 uasi, combusti, qui tot famosos in maiestatem
 tuam, familiæq̄ tuæ emisi libellos, qui te non

plus feci quàm expositum infantem aliquem
 eductum è cæno, qui strages edidi tuorum bel-
 lo pauciores, quàm pace, qui milites tuos, qui
 nobiles partim è saxo præcipitavi, alios insi-
 dijs aut veneno necavi, qui denique in regno
 tuo multos annos impiè nefarieq; alia super al-
 lia sum ausus, Ecce me qui hæc feci omnia, &
 possim facere, cùm mihi libuerit iterum atque
 iterum. Quæ mens quæso agebat Admiraliū,
 ut post tot facinora subito elatus veniret in
 aulam, & hæc, ut dixi, vel voce, vel gestu elo-
 queretur, & Regi Regijsq; quodammodo le-
 gem daret, incuteret certè horrorem omnibus.
 memoria recenti præteritorum facinarum, ser-
 uabant hominem Catholici tristes & mæsti ser-
 uabat princeps optimus & cupiditate publica
 pacis ductus ferebat ut cunq; . Sanè ademerat
 Deus Admiratio mentem sanam, iamq; sera
 quæ solet esse Dei, siue prosperi, siue aduersi, qui
 dicitur pedes lanatos habere, debitaq; vindi-
 cta ante pedes Admiralijerat, alioquin domo
 se is, qui cautissimus fuerat semper, sanè conti-
 nuisset, nec fidem tantam instrumentis pactio-
 num habuisset, ut non meminisset eius, quod
 apud Frossardum legerat de Gandauorum
 ducibus seditiosissimis Francisco Alremontis
 & Petro du Boys aduersus Ducem Burgun-
 dia,

dia, principem dominumq; suum, quorum vnus
 pace transacta, solenniter cautaq; instrumen-
 to, vt loquuntur, authentico, nempe Fran-
 ciscus secutus mansit in patria sub legibus, in
 quas antè vnà cum collega sumpserat licen-
 tiam omnem, nihil meminens ante acta vita.
 & hæc est, vt antè dixi, ratio diuina, vt facto-
 rum obliuiscantur, quos vindicta seruat. &
 inter cetera nihil meminens occisi à se crude-
 liter Domini ab Harselles, Petrus cautior se-
 cessit in Angliam, quasi in exilium volunta-
 rium, monuitque collegam vt faceret idem, ne-
 que instrumentorum fidei fideret nimium, vsur-
 pans hæc suo sermone verba, cùm ille instru-
 mentorum obijceret fidem, Francois en let-
 tres escrites ne gisēt pas tous les vrais
 pardons, ac post aliquot menses interfecto
 Francisco vltore necis paternæ, filio naturali
 ab Harselles, & rumore in Angliam perlato,
 Petrus hæc reddidit verba, le luy attoye
 bien chanté ses vigiles. Eadē erat cōditio
 Gassari quæ Francisci. Et poterat idē insuper
 Gassar Admiralius ille celebris, & à vobis etiā
 post mortē cælo locatus, meminisse. historias. n.
 sciebat ferè omnes, eius quod Iason cum Colchis
 pace inducijsuē conuentis Medea dixit:

ἢ ὁ σαυθεσὶν κρηαίει δ' ὅλορ, ἢ κίρ ἐξ ἄτω

Βίσομερ.

& quod Cicero suadet, si linguas minimè possu-
 mus, oculos hominum malè de nobis opinantur
 esse vitandos: sed iudicium Dei non potuit effu-
 gere, incidit incautus, intutus, imprudens in pe-
 rata sibi antè diuinitus, prouisaq; supplicia vni-
 cum comitibus consceleratis, quos secum duce-
 bat, quiq; profectò videntur ei præbuisse mortis
 causam, dum aliter sentienti, vt permaneret in
 aula persuasere, non alio quàm lucri sui & am-
 bitionis studio. nullam enim importuni oppor-
 tuni sine principis largitate aliqua sinebant
 abire diem. At res admonet hoc loco, vt petu-
 lantia & insolentia cum Admiralijs, tum comi-
 tum & adseclarum eius eximia quaedam exem-
 pla proponam. Tumente bello illo exitioso Gal-
 liae, & calamitoso, ducebat cohortes quasdam Pi-
 leus per agrum Lemouicum, & parabat oppidu-
 cuiusdam, cui sancto Leonardo nomen est, ædes
 sacras incendere. hoc plebs ne pateretur, spon-
 sionem fecit sex ferè millium aureorum, si ser-
 uarentur integræ, & præsentia numeravit duo
 millia, reliquæ summæ obsides dedit. vix pedem
 extulerat oppido Pileus, & mox alij ingressi
 ferro igniq; ædes sacras vastant. Post finito
 bello reliquæ summæ oppidanos Pileus reos fe-
 cit apud regem. Contrà dicebant oppidani, æ-
 quum esse reddi potius sibi prænumeratam pec-
 uniam

cuniã ob causam quasi causa non secuta, quam
 reliquam exsolui, quæ nec ex totius oppidi ven-
 ditione refici posset. Aderant Pileo Admira-
 lius & alij plerique eiusdem familia magna cõ-
 tentione & acerbitate animi quadam effera
 Pilei causam agentes. Rex cum non posset ex
 animi sententia litem secundum Pileum dare,
 suscepit arbitri partes, & post longam discepta-
 tionem cum Pileo qui quidem summo iure ex-
 periebatur, rem ita decidit, ut eius quod peteret
 parte dimidia contentus abiret, quod sibi arbi-
 trium iniquissimum videri, nisi de suo damnũ
 arbiter ipse sacreret, cum postea liberẽ, ut solet,
 Monlucius ipse regi adseueraret, sic accipi re-
 spondisse regem, Quid vis faciam? ne hac qui-
 dem ratione huic generi hominum satisfacere
 possum. sed quando ita suades, de meo oppida-
 nis omne pensabo damnũ. Eodem tempore
 Admiralius contra edictum quo sancita pax
 fuerat, sibi fratrique in Anglia defuncto ere-
 ptas è numulariorum mensis pecunias, ereptã-
 que mobilia belli tempore apud regem reposce-
 bat eo stomacho & iracundia, ut penè sui im-
 pos videretur, verbãque eius auribus suis aut
 consilia animis neque rex, neque cateri quos in
 consilium assumpserat, recipere possent, & in
 hac ipsa re persequenda, vel in alia certè cuius

non memini, præsente rege semel parum absuit
 quin inter se Admiralius & Niuerni Dux fer-
 rum manusque conferrent, tanta Dux ab Ad-
 miralio procacitate laceſſebatur. Eadem au-
 dacia ſi a deſſe in cōſilio Admiralium animad-
 uertebant quicumque erant ab eodē imbuti eumque
 rege ipſo amplius reuerentur, deſideria ſua
 exponebāt regi. memorare poſſim Roberti Caſ-
 ſidici Pariſienſis, & Cauaniſenatoris Tolofani
 exempla, quorum vni cū de re leuiſſima age-
 retur facillimaque tranſactu, de redintegrandā
 principi Condæo iuriſdictione Sueſſonum, per
 bellū erepta, in qua re idem planè erat regis qui
 petitoris animus, verecūdiæ nō fuit extra rem
 ordiri à ciuilibus diſſenſionibus inter Ducem
 Burgundionum & Ducem Aurelianenſium,
 non alia fini quàm vt gentem vnde ortus erat
 rex, ſceptro indignam eſſe inſinuaret inſuade-
 retque. non fuit verecūdiæ minitari vim & ar-
 ma, nō ſine horrore, fremituque totius cōſilij: al-
 teri verò cū ius ſibi reddi populi Gallie Nar-
 bonenſis poſtularēt in ſua prouincia, nec extra
 hi ſe in aliam, etiam ſi edicti pacis clauſula que-
 dam, quā vſus docebat Reipublicæ pernicioſam
 exitiabilemque eſſe obſtaret, & fidem antiquo-
 rum ſacratiorēque appellarent regis, qui initio
 imperij iuraſſet neminem ſubiectorum ſuorum
 extra

extra territorium suum iturum iuris experi-
 undi causa, & proponerentur conditiones qui-
 bus utriq; parti satisfaceret ex aequo bonoq;. ex-
 cidit pari furore metis Senatori qui huiusce rei
 consultade & transigēde gratia accitus fuerat
 veluti sequester, litis, ut nullis redditis causis,
 nulla ad equanimitatem admissa cohortatio-
 ne, statim rigidus annueret aut perpetuū &
 irrenocabile edictū fore, aut pro infecto, irrita,
 cassa, cōclamata omnia. Mitto alia exempla.
 Ceterū Monlucius hæc cum videret simul &
 fastum quo vestri turmatim incedebant per
 aulam, & pertinaciā Admiralij in conciliando
 rege ad Belgicum bellum, frementibus Catho-
 licis omnibus qui id perquam nefarium & de-
 testabile esse censebant, ut est natura sagacissi-
 mus & acutissimus presentū futurarūq; rerū
 cautor, Zacharia, nō vni tantū Rupefocaldo,
 sed et multis alijs dixit, vereri se ne hi mores ve-
 stri perniciem aliquam tandē vobis adferrent,
 nescio quid mali animum prospicere & presja-
 gire suum, cauerent sibi si saperēt, & vel mores
 alios induerent, vel domū redirent, nec fallaci-
 cis aule iam fulgore fragiliq; bono decepti in ea
 haberent diutius, qui populo & maiori aulico-
 rum parti inuidiosi & offensi erant. Inest, Za-
 charia, si nescis, in animis hominū, quippe qui

Dino-

Diuorum cognatione tenentur presagizio qua-
 dam extrinsecus iniecta atque inclusa diuini-
 tus, cuius vi, vt veterum quidam ait, $\Phi\upsilon\chi\alpha\iota$
 $\pi\epsilon\lambda\lambda\alpha\ \tau\omega\ \rho\acute{\epsilon}\sigma\omicron\mu\lambda\acute{\omega}\omega\pi\ \pi\epsilon\sigma\omicron\delta\acute{\epsilon}\omega\pi\iota\zeta\eta\sigma\iota$. Inest in
 Molucio certè admirabilis. ego ipse quamdiu
 mihi frui eius suauissima consuetudine licuit,
 vaticinantem ipsum pleraque audiui de his
 quorum nullæ adhuc apparebant notæ. Et hæc
 est communis vox familiarium eius & dome-
 sticorum omnium, diuinum esse hominis ani-
 mum. nec mirum igitur si quorum iam ex in-
 solentia vestra animo conceperat notas, præ-
 sciuerit prædixeritque vobis euentum. Deniq;
 diuinitio hæc fuit, Zacharia, quam tu falso
 scientiam appellas. Et vt cætera cauilla tua
 persequar, quod Polonis hanc vobis cladem
 contigisse volente rege, Moluncius amolire-
 tur, quis non videt hoc non speciale mandatum
 aliquod regis fecisse, sed aduersarios competito-
 res, qui nulla re eum oppugnabant magis quàm
 quod aspiraret ad Polonia regnum, qui tanto,
 vt dicebant, scelere contaminatus esset, qui
 spargebant passim libellos, programmata, pi-
 ctas tabellas infamandi regis nostri causa, quo
 magis illustrissimorum electorum Polonia a-
 nimos satis in regem nostrum propensos abalie
 narent,

narent, qui quod integra defensio Monlucij
 patefaciebat, (hoc vero tu truncasti subdolè,
 ne ineptias proderes accusatorū) manifestissi-
 mo mendacio iactabant regem Admiraliij ca-
 dauer per forum conto gestasse sublime, eundē
 prægnantis filia Admiraliij vterum cædi ius-
 sisse, quod & tu de alijs mulieribus adfirmas,
 nec tibi verò nec his alium quam rem ipsam fi-
 dēmque responsorem dabo. fides ipsa perfidia
 tuæ index est manifestissimus. Sanè nihil illis
 erat sancti verique, dum nos ablegarent modò
 longissimè Polonia comitijs. hoc vnum age-
 bant quacunque via. Etiam Carolum IX. bo-
 nae memoriae, qui fratrem hodie regem nostrum
 & Polonorum, Polonis insinuabat extremis
 libellis, quibus Monlucius respondit, lauda-
 bant, quem primis infamarant, quæ ingenia le-
 uiora, vitio re scilicet propria inconstans vt
 sit? mitem scilicet moribusque dulcem confite-
 bantur, soli maledicebant fratri, inque solum
 eum conferebant Lutetia commissam cædem
 & supra quàm credi potest seuitia & crudelita-
 tis ingerebant. His erat legato respondendum.
 Quæ ratione respondisset nisi qua respondit?
 Si quæ fuit de cæde illa obiurgatio, eam intro-
 duxere aduersarij, si quæ excusatio, eam ijdem
 prouocauere, nec potissimè, imò nec vllò modo
 specta-

spectabat Monlucij legatio ad eam rem. vos
 de ea nihil, & ipse Monlucius de ea nihil, cui
 & ea res displicebat vehementer. Sed tu, Za-
 charia, cuius nomen ambitu suo complectitur
 vos omnes, nihil non vel scribēdo vel loquendo
 deprauatis, detorquetisq; in aliam quā auctori
 est partem. nec in vlla actione vestra nisi su-
 ribunde mentis signa animaduerto, qui equum
 quieui vsq; in hūc diem, & pōderavi facta veri-
 usq; partis, ac eādem ferē vtramq; damnavi, sed
 in imagine vestram, & alteram quasi castigatior em
 tamen subsequi malui, quoad Deus omnipotens
 miseretur omnium nostrū nosq; ecclesie sue
 filios certē omnes varios dispersosq; cogeret in
 vnum gregem, atq; lumine sapientie sue cir-
 cumferret, lustraret, expiaret, & redderet sui-
 similes. nam quo modo viuimus, sanē demon-
 bus vtrique propiores sumus. & placuit pla-
 cetq; satis non ἀδίαφοσία, hanc abominor, sed
 quod vos pro ea perperam accipitis, nimirum
 illud Phocylidis, πολλὰ μέσοισιρ ἄγισα, μέ-
 σθ δέλω ἐν πόλει εἶναι, & quod Pindarus
 ait, ἀγαθαὶ πελοντ' ἐρ χέμοφια νυκτὶ δοαε ἐκ
 ναός ἀπεσκήμθαι δ' ὕ, ἄγυρσαι. Attigifere
 summa capita belli tui, Zacharia, & valet hac
 quae calumnijs tuis obieci, iā satis apud equos
 iudices, apud te nunquam valebūt, cui animus
 occal-

occalluit in iracundiam insanabilem & odium
 nostri execrabile, nã qui tibi ipse nõ satis facis,
 qui eadem scilicet toties inculcas in tuo libello,
 nec certa ratione rē finis, ἀλλὰ ἄλλο ἄγεις & ἀδύ-
 νότατ' & λέγεις, nec hominũ quisquã sane ti-
 bi unquã satisfacere possit: nec auctoritas vlla
 cõmouere aut deterrere ab ea opinione inquisi-
 smarũ, rerũ quã de rege nostro semel imbibisti.
 A qui iudices regis maiestati potius credet quã
 humilitati tuæ. & meritò cuiq; ad imitationẽ
 M. Scauri principis senatus populi Romani li-
 cebit aduersus te regis innocentia tueri his ver-
 bis: Pseudozacharias Hæricũ regẽ Gallorũ ait
 satellites, nobiles, populũ cõcitasse ad fundendũ
 sanguinẽ innocentium, rex Gallorũ negat, testis
 nemo est. vtri vos cõuenit credere? Et si quæ ar-
 gumẽta p̄ter quæ attigi, Zacharias ille adfere-
 à loco vel à tẽpore ducta, etiã me tacẽte refelle-
 re cuiq; in facili est. quis. n. nõ videt cõtrã quã
 Zacharias scribat, Lutetiã fuisse incõmodio-
 rem opprimendo Admiralio & cæteris, in qua
 veluti sylua ingenti vel latibus se defendere
 facillima cautio fuit, & hac quoque ratione se
 nobiles seruauerũt multi, nulla verò fuisset angu-
 stiore loco? cui etiam nõ liquet nullum potuis-
 se homicidio captari tempus, in quod possẽ lon-
 gam patientiã homines à vobis laceßiti sæpius,

nec ex parte vestra astuta inutilique pace sopi-
 ti, neque obliti alter occisi patris, alter fratris
 alter filij erupere & exarsere repente? ut iam
 ante in Belgico Petro Attremoni per tempus
 pacis ob eandem causam contigisse retuli, non
 citra vaticinationem, sicut nec vate caruiss-
 e cladem illam vestram etiam ante monstravi.
 Et his calumniam illam tuam annecto, qua
 Monlucium ita ratiocinantem inducis, Si Theo-
 dosius Imperator multos indicta causa contra
 ius fasque necavit, quid non & regi licuerit
 idem? facile est respondere ex scripto & defen-
 sione ipsa, quam tu Monlucio tribuis, si qua
 is scribit, eam fuisse semper erga subditos suos
 regis comitatem ac benignitatem, ut si Theo-
 dosius ex caede patrata semel Thessalonica
 iussu suo dum ira nequiret tempus & spacium
 dare, non est habitus pro tyranno, nec haberi
 debeat rex caede patrata se rege semel iniussu
 suo, quod tamen perquam falsum est, ex quo
 actu non ingenerari habitum, & habitus cui
 abest tyrannidis nec tyrannum eum esse, hoc
 inquam, quod ita scribit Monlucius ita ve-
 rit, si quis iudicaverit eum quem efficit sensum
 referre, nullam causam dico quin Monlucius
 tui similis iudicetur impostor & fallax. Sed
 tantum abest ut hoc quisquam iudicaturus sit.

ut nec tu ipse, si paulo interuallo redieris ad te. Neg. verò mirum, si noxam, cuius arguimur, nos purgare non pateris, aut ubi perspicue purgauimus, purgasse non concedis, cum nec certissimorum criminum relatione nos uti aequo animo feras. si qua enim vestra fuerint, ea iam obliuionem deleuisse dicis: sic sanè apud vos qui fecistis, non apud nos qui ea perpessi, possumus. praesens enim est semper nobis facinorum vectorum & acerba memoria, nec vllius conuentionis publicae vis tanta est, ut eam abolere possit. Vos non obliuiscimini iusta vi vobis inflicta damna, nos obliuiscamur iniusta, quae sumus perpessi? iam homines sumus quàm vos. nequimus. rursus si quos nobiles regina Nauarra, aut Comite Mongomero, qui pro regina in Pyreneae Aquitania parte, & Bigerronibus imperabat, indicta causa per cruciatum, & ad contumeliam necauit, dicis obiter non exteros necasse, sed imperio suo obnoxios atq; subiectos. dicam, nec nisi subditos regis Lutetiae necatos. dicis illos defecisse à regina, dicam hos defecisse à rege. igitur non esse tibi causam inferias soluere his potius quàm illis, nec hos lugere adeò, ut huic luctui tuo nulla alia cogitatio inferi possit, illos nullo modo. Et horum quoq; adiuciam necem videri iustiore. illi enim religionem à

d maio-

maioribus per manus traditam vindicabant,
 hi nouam introducebant, nec tamen prorsus
 cedo omnes eos quos regina Nauarræ aut lega-
 tus eius necari iussit, quiq; occubuerunt post
 nam & lusus actos cum submissis ab eo interfe-
 ctoribus decumbentes in lecto, genere cædis fa-
 didissimo & perfidissimo, reginæ Nauarræ subdi-
 tos fuisse: certè non Dominus S. Columba, non
 Dominus Goffas, non Baro Perdeacus, certi
 beneficiarij regis Gallie. Præterea si quos alios
 qua vi qua fraude necastis, si quid ausi estis ho-
 stile, hoc vos belli iure fecisse dicitis, pacem reli-
 giosè conseruasse, qui scilicet statim à pace ple-
 raq; templa à fundamentis proruisistis Aurelia
 Valentie, & alijs multis locis, multos vt iam
 antè recitauimus, neci dedistis, & antequam Regem
 nobisq; palàm denunciaretis bellum, etiam vi-
 ceregem ipsum Valentie Cauarum laqueo suscip-
 sum, cum ad Cauares belli metus nondum per-
 uenisset, qui nunquam insidiari nobis, & hosti-
 lia queq; facere, & rumpendæ paci rimam ali-
 quã querere destitistis, qui & porrectiore fron-
 te ius belli facinoribus vestris obtenditis, non
 dicam destituti auctoritate principis, sed con-
 tra principem ipsum arma gerentes. nec enim
 possit hoc modo à parte vestra ius vllum stare
 belli, ac proinde nec iure à vobis geri quidquam
 tem-

tempore rebellionis vestræ potius quàm belli.
 Ius belli vocas descissere à regis imperio? regi
 bellum inferre? regem obsidere? vrbes regias
 inuadere? fiscum compilare? Ius belli flamma
 sternere aedes ædificiaq; omnia? ius belli vicere-
 gem interimere? ius belli post occisos 800. in
 agro Segusianorum sedato iam primo militum
 impetu, captiuos splendidiores è turri præcipi-
 tes dare? Ius belli in agro Arecomitorum ci-
 ues tota vita innocentes, viuos defodere in al-
 tam specum?

Quis Colchus hæc, quis sedis incer-
 tæ Scythæ

Commisit? aut quæ Caspium tan-
 gens mare

Gens iuris expers?

Sed fessus sum hæc commemorare scribendo.
 vos nationem Gallorum, quæ humanitate mo-
 rum exsuperabat omnes, barbaram & esseram
 reddidistis, vos infamastis apud exteros, vos re-
 gem virtuti simillimum Carolum IX. adsidua
 12. annorum insectatione, penè ad imitationem
 vestri compulistis. nulla ætas in Gallia tulit ne-
 quiores vobis, nulla mitiorem clementioremq;
 principem, si forte factus est asper, vitio meri-
 toq; factus est vestro. nec iam diligentius per-
 pendenti omnia, causa mihi videtur esse admo-
 dum

dum succensendi vobis, dum vitia, quorum estis
 auctores, confertis in principem. nam cum sitis
 omnium, qui sunt, qui fuerunt, quiq; futuri sunt
 improbissimi, in tantumq; detestandi, in quan-
 tum nequities & improbitas ipsa, exleges, im-
 pij, periuri, sacrilegi, fraudum satores mello-
 resq; omnium: penè malim vituperari à vobis,
 quàm laudari principes. namq;, vt Antisthe-
 nes dicebat, idem est laudari ab improbis, &
 vituperari à probis, & retrò vituperari ab im-
 probis, idem atq; laudari à probis: vestra con-
 uitia laudes sunt, siue quæ in principes, siue quæ
 Monlucium iactatis principum legatum. Sic
 solebat eum appellare magnus ille Franciscus
 1. & dicendo legatum, per eminentiam, non al-
 lium quàm Monlucium intelligi volebat. & se-
 rò iam intelligo non debuisse me hanc aggressi
 operam, nec confligere tecum, qui modum non
 habes vllum, sed, vt ait Comicus, quò magis si
 in altum capestis, tam æstus te in portum re-
 fert, & subinde cruentus ordiris tibi, atq; re-
 xis in oratione vna orationem eandem. Mon-
 lucij certè quid scripseris, pluma non interest.
 Generosum pectus, nihil cōmouetur calumnijs
 tuis, dolet tantum vicem tuam, qui maiestati
 diuinae prouidentiam nihil reuereri te, nihil
 credere re ipsa prodis, in nullã aliam rē, quàm
 ad

adstruenda maledicta cernuus, præditusq; gut-
 ture, ut diuinus vates ait, tetriore hianti fune-
 ra sepulcro putri. At si is vellet eloquentia te
 sua, qua mirū in modum pollet, insequi & tra-
 ducere, sanè confossiorem faceret soricina na-
 nia. Sed contemptu magis te & silentio dignū
 esse iudicauit, nos amici Monlucij pluris te fe-
 cimus, qui perlecta per pensaq; omni scriptūcu-
 la tua, modò tamen cognoscimus nō plus face-
 re debuisse nuce vitiosa. idemq; vnà nobiscum
 plerique è vobis sentiunt. nec enim vt suprā
 dixi, contagione se vestra contaminarunt o-
 mnes. audiui plerosq; execrantes vocem fre-
 quentem illam vestram, Iusta esse arma quibus
 extollitur gloria Dei, & plerasq; alias nefari-
 as iam à me indicatas suprā. Etiam finito pri-
 mo tumultu Admiralius ipse, cū ad eum his
 de rebus nuncium Monlucius noster misisset,
 respondit nunquam se probasse mores eorum
 qui sacra profana, publica priuata haberent,
 & quod populus Romanus cēsori permittebat,
 apud nos solius esse principis ex priuato in pub-
 licum addicere, & ex publico in priuatum, qui
 hanc potestatem vsurpassent, hos se habere pro
 prædonibus. nunquam se probasse demolitiones
 ecclesiarū, nunquam alia facinora cōtra disci-
 plinam à se initio tumultus institutam testa-

tamq̄ literis scriptis ad principes orbis Christi-
 ani, commissa, religionem extirpari his arti-
 bus quàm propagari, nec si oppetendæ ei essent
 mille mortes, tales homines se vnquam habitu-
 ros pro ducere. nondum contagio vestra peruen-
 rat ad Admiraliū, quæ tamen adeò postea de-
 prauatus corruptusq̄ est, vt cum videret e-
 uerti ædificia publica, arridens diceret, hos esse
 se suorum militum lusus, hanc relaxationem
 animi & quasi aucupationem. Non defuerunt
 tamen alij qui constanter etiamsi signa seque-
 rentur vestra, facta execrarentur semper. nam
 & Catholici quidam cohortibus se miscuerant
 vestris, vel addicti vel obæerati nimium prin-
 cipibus aut dominis quibusdam, vnus principi
 Condæo, alter Admiratio, alij alijs, nimium in-
 consultè. nec enim prudenti viro vllus tanti
 patronus esse debet, vt propter eum à regis sui
 deficiat obsequio, sicut M. Tullius ait, Nul-
 lam Appietatem aut Lentulitatem plus vale-
 re apud se quàm ornamenta virtutis: & opta-
 uerit potius vir prudēs quisq̄, ne sibi Deus ini-
 ciat aduersus principem rebellem animum, vt
 Chorus apud Æschylum $\mu\kappa\delta\acute{\alpha}\mu\ \delta\ \omega\acute{\alpha}\nu\tau\alpha\ \nu\epsilon\acute{\alpha}\nu\tau\alpha$
 $\mu\omega\pi\ \delta\epsilon\iota\tau\ \acute{\epsilon}\mu\acute{\alpha}\ \gamma\acute{\nu}\omega\mu\alpha\ \acute{\alpha}\nu\lambda\acute{\iota}\pi\acute{\alpha}\lambda\omicron\pi\ \zeta\acute{\epsilon}\upsilon\varsigma$. Sed
 vt extremum habeat aliquid oratio mea, con-
 cludam Christiani proprium esse pati, non face-
 re inu-


re iniuriam, qua de re est Chrysoftomi homilia
 elegans inscripta hoc modo, Melius esse pati
 quam facere iniuriam: Et exemplo Christi
 Domini nostri speciosius esse, ut Valerius ait,
 beneficijs vincere iniurias quam mutui odij
 pertinacia pensare, Christiani proprium esse
 obseruare regem, ut D. Petrus precipit, qui
 tamen tum non Christianus sed paganus erat,
 Christiani proprium neminem infamibus ver-
 bis lacessere vel vlcisci, neminem calumniari:
 Manifesta esse calumniam, regem Lutetiae caedis
 commissae facere mandatorem, Monlucium
 patronum: quam & si non refutassem, res ipsa
 refutasset vel ex Catholicorum promiscue cae-
 sorum numero, vel ex his quos dux Guisus
 post vindicatam caedem patris inuidissimi &
 nobilissimi principis vltero seruauit, & Lansa-
 cius & alij qui a latere regis perseuerabant,
 quos utiq; non seruassent si alia fuisset mens,
 aliud votum regis. Vos igitur hoc est, popu-
 lares tuos, quibus vestro iudicio licet quidquid
 liber, qui nullas emendatae ac ne deprauatae
 quidem religionis in animo impressas notas
 habetis, iure meritoq; concludam non esse Chri-
 stianos. Christianum me non Christiano re-
 spondisse pudet pigetq;, nec iam in hoc ipso arti-
 culo

culo tamē raptō mibi de manibus scripto, quod
 conscindere parabam, factum mutare
 integrum est.

F I N I S.

3
A D V E R=
S V S A N O N Y M I
C V I V S D A M P R O M O N-

lucio præscriptionem, Zacha-
riæ Furnesteri de-
fensio.



ANNO M. D. LXXV.

A. D. V. E. R.

V. S. A. N. O. N. Y. M. I.

M. O. M. I. T. A. T. I. O. N. I.

habetur in scripturis

et in

libro



ANNO M. D. LXXV.

ADVERSUS ANONYMI
CVIVSDAM PRO

Monlucio prescriptionem, Zachariae

Furnesteri defensio.



I Eginus, Anonyme felix, egregiam illam tuam pro Monlucio nomine prescriptionē, sic enim vocas: reuera autē sacrilegi illius & abominandi facinoris defensionem, cum singulari quadam & verè tua innocui sanguinis, ac piorum omnium insectatione coniunctam. Qua lecta, non dubitauimus quin tu ipse esses. scis quē dicamus. Nouimus enim & quis sis, & cuias sis: ita & vita, & oratio, & stylus ille bonus te totum nobis representarunt. Benefactum, quòd tandem, quis esses, apertè orbi ostenderis. Sic enim, vt video, minus multos falles in posterum, qui sub astuta vulpe, & specie laruata non religionis, quam semper ludibrio apud familiares tuos habuisti, sed accersitæ cuiusdam simplicitatis tam multis tot annos omnibus locis imposuisti. At quanto fecisses consultius,

tius, si in eo silētio, quod tibi aliquan-
 do indixeras, perseuerasses? Consultu-
 isses famā, quam post fœdam illā de-
 fectionem tuam adhuc apud aliquos,
 etsi agrè retinebas, retinebas tamen:
 adeò tibi ad omnem religionis simu-
 lationem vultum facilem & orationē
 natura dedit: nunc illo infamī scripto
 planè totā amisisti. Si nihil aliud, con-
 suluisses valetudini, quā, dum bilem
 isto stylo exacuis, non dubito, quin ve-
 hementer læseris, indeq; ad morbum
 illum, qui te iam aliquot annos vexat,
 magna facta sit accessio. Fortasse non
 erat quod ageres, & quærebas, quo
 morbum illum animi oblectares. Fa-
 ceres ergo potius id, quod te facere so-
 litū antea scribis. rideres in his tumult-
 uibus & horum temporum miseris a-
 liorum hominum stultitiam homo
 sapiens & consideratus, ac velut è spe-
 cula prospiceres ceteris imminentem
 tempestatem, ipse ab omni periculo
 procul remotus. Quòd si deesset alio-
 rum stultitia, ipse rideres tuam, quod
 dum facere voles, nunquam tibi dec-
 rit amplissimum & suauissimū te ob-
 lectandi

lectandi argumentum. Scio, non ita tibi videtur. tanto miserior, qui domestica mala, & iudicia Dei in te toties ab illo monitus, videre adhuc non potuisti. Tu autem posthabitis consuetis illis oblectationibus ac leuamētis morbi, quæ sisti ad eam rem infame argumenti genus, in quo scilicet admirabilem vim & diuitias orationis beatæ exerceres. Adeone ergo te post illā apostasiam dementem esse factum, vt tibi non esset satis priuatim nuncium remisisse Christo & veræ religioni, nisi etiam publicā, & eam, vt apparet, accuratam non piorum tantum, sed etiam totius veræ religionis insectationem adijceres, qua te iam seriò apostatam & Catholicum esse factum publicè probares, & quidem ita, vt aliorum in hoc genere exercitationis improbitatem, impietatem, impudentiam etiam longè vinceret? Tu enim de æterno Dei verbo & Euangelio salutis, quod profitemur, ita scripsisti, vt id nouæ cuiusdam & impiæ blasphemix nomine vbiq; traduxeris: in eos autem, qui obediūt Euangelio, ingesisti

sisti probra omnis generis: omnia e-
 iusmodi, vt si vel vnum minimum ve-
 rum esset, non modò iure ea cædes fa-
 cta sit, quæ ante tres annos in Gallia à
 vobis patrata est, sed ne in eos quidè,
 qui supersunt, mille cruces sufficiant.
 Ergo pij, & qui solè verè sunt, etiam si
 rumpère, Christiani, toto Gallia re-
 gno tot iam annos vexati, spoliati bo-
 nis, caesi, trucidati, omni genere cru-
 delitatis excarnificati sunt à vobis:
 & nondum parricidiorum, nondum
 crudelitatis finis? Nempe hoc dee-
 rat, vt post illam toto orbe decanta-
 tam cædem vestram existerent, qui
 persequerentur reliquias, & illud o-
 mnium post homines natos maximè
 immane & detestabile facinus defen-
 derent, vt nec viuis, qui superessent,
 esset respirandi locus. Qua in re au-
 ctoribus cædis & sicarijs vestris bonâ
 ac fidelem operam multi nauarunt,
 vt Muretus, vt Carpenterius, vt Bel-
 leuraus, & ornatissimi cuiusdam vi-
 ri epistola, vt Monlucius.

Tu restabas, qui non solùm defen-
 deres facinus timidè & diffidenter, vt
 non-

nonnulli ex superioribus, sed vltro & animosè insultares mortuis, viuis etiam lucem aspicere prohiberes, vel veriùs miseris & afflictis etiam viuentium funus duceres. Sed quid ageres? Monlucius Episcopus & Comes Valentinus amicus & patronus imperabat: imperabant cupiditates tuæ, malæ in primis & imperiosæ dominæ. his denegare nō potuisti. A Monlucio multa acceperas, plura sperabas. & verò erat, cur sperares, præsertim præclara illa legatione Polonica tam feliciter gesta: ex qua non dubium, quin multum illi gratiæ & honoris accessisset apud regem. huic si adulareris, si eius defensionem susciperes, vbi & honorificam de beatis & magnis istis sicarijs mentionem faceres, summa hinc & certa spes incundæ ab illis gratiæ, & eius, quæ iam parta erat, mirabiliter augendæ offerebatur. Tantam rei bene gerendæ occasionem negligeres? Homini, vt tibi videris, sapienti, vt tota vita testatur, ambitiosissimo, non conueniebat. Tum autem in argumento tam infami, ingeniosum

& præstantem esse oportebat, qui rei
 deploratæ posset patrocínio subue-
 nire. Is tu tacentibus alijs omnibus vi-
 deri voluisti. Tu ergo inter amicos
 Monlucij vnus tibi idoneus visus es,
 qui rem susciperes? non potuisti dete-
 rius neq; in te, neque in Monlucium
 cõsulere, qui malam causam pessimè
 agendo & illum traduxisti magis, & ti-
 bi excitasti theatrum, in quo singula-
 ris improbitas tua cum summa amen-
 tia coniuncta toti orbi spectanda ex-
 hiberetur. Atque ó te etiam in hac re
 parum prouidum, & vel existimatio-
 ni, vel valetudinĩ parum cõsulentem,
 qui Monlucij vnus, & quidem præter
 ceteros defensionẽ sis aggressus. Quid
 enim, an nos ignorare putas, quæ de
 eo aduersus id, quod domi charissimũ
 habes, prius quàm id duceres domũ,
 quæ, inquam, de eo, & quàm sinistra
 suspiciones fuerint? non dico veras
 fuisse: sed tamen satis auditum est ab
 ijs, qui te familiarius norunt, quàm te
 illa fama, & quandiu vsserit. Adeonc
 ergo & tui es oblitus, & valetudinis
 tuę, vt illius causam tam obnixè & re-
 ligiosè

ligioſe tuam faciendo non ſentias te tuo facto augere illas ſuſpiciones, quibus falſas: & vt nihil ſit aliud, tamen morbi cauſas etiam tibi accerſas vltro? Omnes enim qui te norunt, dicunt ſe ſcire, quam te illæ plerunque cogitationes etiam falſæ exagitent & excruciet animi: uſque adeo vt dum eas vincere aut cohibere non potes, factum ſit ſuperioribus abhinc annis non ita multis, vt in illam alienationem mentis, quam omnes ſciunt, incidereſ: à qua, quantum video, nondum planeſ recreatus. Melius igitur erat omnino, ſi in totum fidem iſtam renūciaſſes Monlucio, & te ipſum reſpexiſſes. Sed ſiue cupiditas rei augendæ, ſiue ſtudium honoris, ſiue iſta tanta fides erga Monlucium, ſiue potius mentis cæcitas, qua iuſto iudicio Dei defectio iſta tua percuffa eſt, ſiue quæ aliæ cauſæ eò te adegerint, vt contempta exiſtimatione tua, & rebus omnibus ſuſcipereſ tam ſanctum patrociniū, in quo in viuos & mortuos, eoſq; innocentiffimos homines, ſed præcipuè in Eccleſiam Dei & veram religionē eſſes

petulantissimè iniurius: postquam tibi libuit ita insanire publicè, qui melius poteras latere domi, visum est & nobis publicè, non insanire cum infano, sed retundere istam amentiam, ne passim feratur in obuios, & incautis nec cogitantibus noceat.

Et ne quæras, quod sit eius nomen, qui scribit. de re agitur, non de persona scribentis. Si vera sunt quæ dicuntur, acquiesce veris: si falsa, refelle. Nunquam detractum nomen efficiet, ut quæ per se vera sunt, vera esse desinant, nunquam additum falsis auctoritate attulerit, nisi apud stultos, qui personæ auctoritate ducuntur, non rerum veritate. Quod eo dico, quia tu in initio fol. 4. multis verbis, ut es rhetor, exagitas, quòd subdititiū sit Zachariæ Furnesteri nomē. Zacharias verum est nomen: qui si tibi non est notus, gratulatur sibi. optaret etiam, alijs omnibus tui similibus æquè esset ignotus. Fac tamen utrunque nomen esse ascititium. Iure potuit asciscere, qui in eo alteri nihil detrahit. aut scire velim, quam

quam hęc tibi aut alij iniuriam faciat Zacharias. Nomen suum verum non posuit, scilicet quia noluit tibi esse notum. potuit de suo statuere vt voluit: nec fuit, cur tu illi prescriberes, quomodo re sua vteretur. Diceret etiam, si esset Gallus, se sibi cauere voluisse. Stultum se esse oportere, si se tibi & carnicibus alijs committeret, qui ad omnes occasiones perdēdi in rebus verissimis intenti estis. Sed egregiē Zachariam vlcisceris ob fictum istud nomen. Aisenim te quoq; nec tuū, nec aliud vllum repositurum. Laudo: nihil in toto tuo scripto factum melius, quàm quòd nomine tuo caruit. Negas tamen amplius esse viri boni nomen suum subticere, aut aliud sibi asingere, & valde rhetoricè id amplificas, atq; etiā in eo sentētiās fundis, faciliè vt appareat, insignē aliquē te esse theologū. Nam qui habet, inquis, q̄ in alio reprehendat, idq; in mediū proferre studet, vel vt rem prodat publicè cunctis, vel vt errāti monstret viā (nec enim alio sine posset quis quicquā in quenquā scribere, nisi malignè) isfanè

si nomen

si numen Dei reueretur, si pius est, si
 qua, vt diximus, fini oportet, scribit,
 non suum debet subticere, aut com-
 mutare nomen. alioquin scripto fidē
 derogabit omnis. Agnoscis verba tua
 plena elegantia Ciceronianæ. Ego au-
 tem omiſſis verbis de re ipsa te inter-
 rogo, & quæro quid ad timorem Dei,
 & pietatem pertineat dicentis nomē,
 si res, de qua dicitur, etiam non cogni-
 to eo, q̄ dicit, æquē intelligatur. Quæ-
 ro, cum de rebus agitur, non de perso-
 nis, quæriturq; quid in re verū sit aut
 falsum, idq; etiam demōstratur, quid
 ad rem faciat nomen tuum aut meū,
 persona tua, aut mea: nisi vt omiſſis
 rerum momentis, sæpe oratio transi-
 ratur aduersus personas, atq; hoc mo-
 do veritas amittatur. Quod initio di-
 xi, est longē verissimū, si vera dico, au-
 dienda esse, siue ego Zacharias vocer,
 siue Ioannes: si falsa, tuum esse refuta-
 re, & de nomine auctoris non debere
 esse sollicitum. Sed cur non debet tan-
 dem, qui scribit, si numen Dei reuere-
 tur, si pius est, nomen suum subticere
 aut cōmutare? audiamus demonstra-
 tionem

tionem necessariam. Quia alioquin, inquis, omnis (subaudi homo) scripto fidem derogabit. Prius te theologum esse probabas in sententia ex certissimo Dei verbo petita: nunc demum in oratione te plane dialecticum esse ostendisti. est enim hoc argumentum: ei qui suum nomen subticet, non creditur. ergo is non est pius, ergo Deum non reueretur. Quasi id dicere, cui derogetur fides, sit argumentum, eum qui id dicit, pius aut Dei timentem non esse. Quibuscunque ergo etiam vera dicentibus, non credetur, quia non probent, hi pii non erunt, hi Deum non reuerentur. Ista ratione nec Christus pius, cui vera dicenti Iudaei non crediderunt. quo quid dici potuit amentius? Pergis etiam in re ridicula, & stultitiam stultitia maiore cumulas. Quoniam enim posueras fidem derogari scripto eius, qui suum nomen subticuit, ne id quoque non probatum relinquatur, alijs rationibus optimis confirmas. Erubescis, inquis, tuum efferre nomen. Erubesco & ipse his, quae scribis, habere fidem. Atqui, ô bone, multæ

multæ causæ esse possunt, & iustæ, cur
 nolim nomen edere, etiamsi dicam
 verissima: Cur autem, si vera dico, fi-
 dem veris non habeas, nihil est, etiam-
 si milies meum nomen suppresserim.
 Addis etiam, commentitium est au-
 ctoris nomen. Et commentitia igitur
 meritò suspicor esse omnia, quæ
 falso nomine edita lego. Ne hoc qui-
 dem abste fanius dicitur, quàm supe-
 riora. Si enim nondum legisti, culpa
 tua est, quòd suspiceris de eo, quòd
 possis legendo, quale sit, cognoscere.
 Si legisti, potuisti ex ijs, quæ differun-
 tur, intelligere vtrum, quæ proponun-
 tur, vera sint an falsa. Quòd si vera es-
 se cognouisti, desisti, nisi stultus es,
 suspicari esse falsa. Sin nihil idonei af-
 fertur ad probationem, rectè facis, si
 ijs fidem non habes. sed hoc non co-
 fit, quia subtrahitur auctoris nomen,
 sed quia dicta non probantur. nam
 nec si teneres nomen auctoris, & il-
 le, quod dicit, non probaret, tu di-
 centi fidem haberes. Res sic habet
 in summa: Non pendent res ex per-
 sonis dicentium aut scribentium, mul-
 toq;

toque minùs ex nomine personæ: sed
 ex momentis & fide probationum.
 Probantur autem res aut argumentis,
 aut testibus. quæ si sumuntur aliun-
 de, quàm ex persona dicētis, nihil est,
 quòd de persona eius quærat, ac
 multò minùs cur de nomine. De per-
 sona ipsa si quæreretur, ferri posset, si
 nomen eius exigeres, vt, quod quæri-
 tur, nosse posses. nunc cum agatur de
 eade illa vestra postrema, de calūnijs
 Monlucij, & tuis in eius defensione:
 non autem de persona tua aut mea,
 stultè nomen dicentis ad fidem requi-
 ris, multoq; stultiùs sine vero nomine
 auctoris omnia, quæ scribuntur, com-
 mentitia esse contendis. Itaque cum
 subiecisti, ob nomen auctoris præter-
 missum, commentitium esse Zacha-
 riæ libellum, idq; iudicium proculdu-
 bio facturos esse omnes, qui non assi-
 dent insanis: palàm declarasti, qui in
 rebus tam apertis, tam præposterè &
 absurdè iudices, tibi iudiciũ & mentè
 laborare, teq; etiam si multis sanis assi-
 deas, tamẽ inter sanos maximè insani-
 re. nec vereor, qn hoc iudiciũ oēs sani
 de

de te facturi sint. Cuius rei non aliud cupiam argumentum mihi dari certius, quàm illud ipsum, quod in hac causa euincere conaris, etiamsi quis id tibi maximè concesserit. Tu enim nominis reticentiam obijciens alij, ipse in tuo scripto sic retices tuum, ut ne fictum quidem apponas. Interim de ijs qui suum nomen subticent, ita differis, ut dicas eos, qui id faciunt, non esse pios, Deum non reuereri, horum scripta esse commēticia, his fidem haberi non debere. & ad eò amens es, ut cum id dicis, te tecum maximè pugnare non sentias. Sed de nomine nimis multa, si de nomine solum quærat, verum cum in huius partis reprehensione multis verbis immoratus esses, in qua etiam summopere tibi placeres, dum cupio tibi respondere, me te cum ineptire coëgisti. Iam ergo de re quam suscipis, quærat.

Reprehendis principio, quòd Fur-
nesterus curarit formis exprimendam
defensionem quandam Monlucij, quã,
si ex scripto emissa fuit vnquam, pau-
ci Poloni legerunt, nunc legit Chris-
tianus

ftianus orbis, & hanc sibi Furnesterus ad maledicendum materiam compararit. Sed cum Monlucius in Polonia exemplum publicum esse voluerit, vique adeo vt & ad nos sit perlatum, nõ debet tibi iniuriosum videri, si publicæ velut accusationi publicam & ipsi responsionem opposuimus. quod fieri aliter non potuit, quàm si daremus operam, vt vtraque coniunctim typis excusa ederetur. Ac factum id est à nobis duabus de causis: primùm quia de fide responsionis nostræ constare nõ posset, nisi prius cõstaret extitisse defensionem illam Monlucij, quam oppugnabamus. deinde, vt si ad aliquos pueniret Monlucij accusatio, ad eos etiam simul nostra defensio perueniret. Sed enim negari potest scriptum esse Monlucij. cum tu non neges, sed vltro illi esse agnoscas, ac per omnia confirmes, quid attinuit abs te dici id posse fieri, quod non facias? nisi fortè vt intelligeremus hominem te esse liberalem & verum, & quod, si velles, negare potueris, id te veri studio, & ne nobis sis molestus, vltro concedere.

B

Acci.

Accipio quod das, ne sit necesse nos in eo probando, quod negare, operam sumere. Sed scito, si neges, a itographum apud nos esse ipsius manu subscriptum, mihi um ex Polonia. Quod nisi scriptum suum esse scisset Monlucius, & se de eo facile convinci posse, si negaret: nunquam adeo fuisses liberalis, ut nobis factum concederes, quod ille omnibus modis suppressum cupiebat. Sed quoniam, ut dixi, vis esse Monlucij, quod nec abnuis illum fuisse concessurum, & præterea in omnibus, quæ illo scripto continentur, auctorem veracem esse confirmas, non est quod frustra laboremus.

Ergo hoc concessio, quid ad eam defensionem Monlucij responderit Zacharias, & quam verè, considerandum est. Tu indignum putas contumelia affici Monlucium, antiquissimum & fidelissimum principum legatum: indignius, quod Zacharias nec Dominis ipsis pepercerit. Agnosco idem & ipse, si fuit contumelia, quod scripsit Zacharias, si quid in eo falsum, si quid lædendi causa aut conuicij obiectum est.

est. Sed si vera ille scripsit, si ea, quæ erant & esse debebāt publica: si ea, quæ ad defensionem innocētis sanguinis, & ad cautionē miserorum & afflictorum, qui restabant ex illa cæde, necessariò pertinebant: nulla hic contumelia fuit, nulla cuiquam iniuria facta: nihil Zacharias alienū fecit ab eo officio, quod humanitas & pietas ab eo exigebant. Cædes piorum immanis, & antehac inaudita patrata est à vobis in Gallia, patrata iussu regis vt crudelissimè, ita turpissimè & perfidiosissimè. Post hanc etiam pij, & qui cæsi sunt, & qui supersunt, in crimen vocantur, & tanquā qui ei cædi causam præbuerint, traducuntur à Monlucio apud exteros. Huic calumniæ qui occurrit, & aduersus eam tuetur, quod potest, miseros & innocentes, & in his ipsis veritatem & religionem, in eaq; defensione, quod necesse est, rem vti gesta est, ita gestā esse dicit & probat: is non modò non lædit factō suo proximum, sed officio fungitur omnium optimo & Deo acceptissimo, qui pupillos & viduas nobis curæ esse iubet,

qui beatum pronunciat, qui respicit egenum & laborantem. Itaque ad ea quæ sequuntur, ita tibi Zacharias respondet: se in ea re non insultare principibus, cum necessariam defensionem laborantium & in iustissima causa suscepit: nihil se dixisse pro libidine, sed rebus & officio ita cogentibus: nihil fecisse iniuria, sed optimo iure: nihil comminisci in Monlucium, aut quemquam alium, sed quæ dixerit, ita patefecisse ut liquidò ostenderit. Eo officio non concitatur leuis plebs & credula, sed arcentur lupi, imperiti ab errore reuocantur. Fatetur Zacharias principes esse ministros Dei: nihil esse sceleratius, quàm plebẽ aduersus eos concitare, & maximè, si fiat sub nomine Dei, ut tu scribis, & specie purioris, emendationisq; religionis: item prætextu exagitandæ calumniæ calumniari. Sed tibi ista reponit, vestra vide licet, & à vobis profecta, ut paulò post patebit. Quod an ita sit, iam cognoscamus.

Hoc loco initio ingens Furnestero crimen obijcitur, quòd Monlucium dixit

dixit ad mentiendum mercede con-
 ductum commendasse Polonis cru-
 delem & regno indignum principem,
 nam neque hunc talem principē esse,
 neque Monlucium mercede condu-
 ctum. Grauem, inquis, ea in re iniuriā
 facis illustriſſimo principi. Grauiſſimā
 inquam, ſi non eſt talis, qualis dicitur.
 Sed ſi illius nefariæ cædis vnus maxi-
 mē præter ceteros non modò consci-
 us, ſed etiam auctor fuit, non tantum
 eſt is princeps crudelis, ſed de eius cru-
 delitate dici vnquam ſatis nō poteſt.
 Eſi autem hoc conſtat inter omnes,
 neque Monlucius ignorat, & tu ab il-
 lo & alijs innumeris cognoſcere po-
 tuiffi: tamen quia homines ad men-
 tiendum exercitati, & quos nihil pu-
 det, etiam quæ ſunt certiffima, vbi vo-
 bis vtile eſt, negare audetis, teſtibus
 mihi opus eſſe video apud eos, q̄ aut
 rerum Gallicarum ſunt imperiti, aut
 ſe manifeſtis conuinci volunt. Teſtis
 igitur mihi erit M. Ant. Muretus in ea
 oratione, quam Romæ habuit Anno
 1572. qua gratulatur Romano Pon-
 tifici, & Eccleſiæ Romanæ de re tam

præclarè & feliciter gesta in Gallia. vbi
 nominatim istius boni Ducis honori-
 ficam mentionem faciens, huic viri
 propè rei benè gestæ tribuit laudem.
 Non eò hunc cito, quia ei potius fidè
 habeam, quàm tibi, si de persona viri
 vsque quæreretur (quanquam hoc il-
 le melior & integrior, quàm tu, quòd
 cùm pariter hostes sitis Christi & eius
 Ecclesiæ, tamen ille apertè profiteretur
 se esse id, quod est: tu simulata religio-
 ne & simplicitate per cuniculos po-
 pulum Dei periculosè semper oppu-
 gnasti) sed quòd Muretus orationem
 habuit apud Romanum Pontificem,
 cui sciebat se mentiri non debere, in-
 telligebat etiam, se etsi vellet, id turè
 facere non posse, cùm ille melius scire
 posset, quid esset in re, quàm Mure-
 tus. Deinde quòd orationem habuit,
 non tantùm præsentè legato Gallico,
 sed etiam eius nomine, vt nō tam Mu-
 reti, quàm ipsius legati videatur ora-
 tio fuisse. Testis est Capillupi Itali hi-
 storia de cæde illa vestra. quam ne re-
 pudies, bonis & certis auctoribus ac-
 cepimus, quos nihil necesse est hîc no-
 mina-

minare, Cardinalem Lotaringū prius
quàm postremùm excederet Roma,
cùm eam historiam apud se haberet,
vocasse ad se separatim tres typogra-
phos, quibus illam imprimendā obtu-
lit. quod illi veriti, ne quid illic Roma-
num Pontificem offenderet, facere re-
cusarunt. Testimonia hæc vestra sunt.
ea tu rejicere non potes. De Gallis &
vestris si quæritur, omnes ita esse & sci-
unt & clamant, eiq; ad commendatio-
nem zeli aduersus religionē summæ
laudi ducūt. Quapropter noli succen-
sere Furnestero, si in defensione neces-
saria id dixit, quod & verum est, & pu-
blicè intererat omnibus esse notum,
ne quisquam deciperetur. De eius in-
dignitate nihil nunc necesse est dici
ad cauendum, cùm res nō sit integra.
Quamquam qui prius dixit, etiam di-
xit de altero. Est enim omnino & re-
gno & omni principatu indignissi-
mus, qui tam multis sceleribus, quàm
multa extiterunt in illa cæde, sese con-
taminauit. Sed & illa ipsa, quæ Monlu-
cius de illo sine villo rubore scripsit, in
epistola illa priore ad Polonos, iam-

B 4 pridem

pridem ita foetida visa sunt, vt cum
 suis elogijs irrideatur & exhibetur ab
 omnibus. nec dubito, quin auctorem
 ipsum, cum illa legit, pudeat vanita-
 tis. Tu autem contrà quid dicis? Tur-
 pe esset defensori Monlucij, verio-
 rem Monlucio aut integriorem præsta-
 re. Tu igitur de cæde illa infami, deq[ue]
 auctoribus siles consulto, & omis-
 ijs, quæ erant certissima, quia aduer-
 sus vos stabant, extraneas quasdam &
 nugatorias cõiecturas nobis ingeris.
 Summa fit, inquis, iniuria ei principi,
 quem natales certissimi fecere regem.
 Nemo nostrum negat eum successio-
 ne regem factum esse Gallia. An idè
 dignus regno? an idè non crudelis?
 Quàm fuit crudelis Nero? tamen im-
 perator erat populi Romani. Et Tar-
 quinius Superbus rex Romanorum
 erat. ergo non indignus regno? Quid
 in regibus Gallia, quàm multi succes-
 sione reges facti, postea vt indignissi-
 mi regno eiecti sunt? Sed fortasse cete-
 rorum natales non æquè fuerunt cer-
 ti, huius autem sunt certissimi. Quod
 quamobrem addideris, nescio, cum
 de

de huius natalibus nemo tibi contro-
 uersiam faciat: nisi quòd videris ipse
 in dubium reuocare velle id, quod im-
 portunè verbis affirmas, aut certè ma-
 ledicendi ansam obijcere: quam sinis-
 tra manu à te oblatam non accipie-
 mus. Grauis hìc quoq;, inquis, fit iniu-
 ria Polonis, qui concordibus suffra-
 gijs hunc sibi optauerunt regem. Dele il-
 lud, cõmunibus suffragijs. Nunquã
 magis variatum est sententijs. Deniq;
 quomodo optauerint, & quamobrè,
 & quibus partim largitionibus, par-
 tim necessitatibus rerũ victi, satis scia-
 tur: quod in amplissimis regnis, vbi
 tam multa sunt capita, non vnum i-
 demq; spectantia, accidere cõsuevit.
 Sed electione sua noua facilè de eo iu-
 dicium suum ostendent, & te fortasse
 mirificè refutabũt. qui tamen si eum
 iterum eligent, aut potius si hunc nõ
 mouebunt regno, non erit mirum, si
 electionem à se semel probatam con-
 stantiã causa retinebunt. neque ideò
 consequens erit, in priore illa electio-
 ne non esse falsos eos, qui malũ igno-
 tum tam procul sibi accersuerũt. Ais

etiam grauem fieri iniuriam præpo-
 tenti Deo, manifestam iniuriam cœ-
 lo terreq; ab eo, qui hunc crudelissi-
 mum dixerit, indignumq; regno prin-
 cipem. At quamobrem? Quia nos, in-
 quis, qui pijs sumus, Deo acceptos fei-
 mus reges. Quid ergo, Pharao à Deo
 rex datus non erat Aegyptijs, Saul po-
 pulo Israëlitico, Nero populo Roma-
 no? non minus & hi à Deo, quàm Da-
 uid, quàm Salomon, quàm optimi,
 qui vnquam fuerunt, principes. Nul-
 lum enim imperium, nulla potestas,
 nisi à Deo, teste Apostolo Rom. 13. 1.
 Qualis igitur fuit Pharao? Impius, cru-
 delis, populi Dei iuratus hostis. Qua-
 lis Saul? Impius & hic, & hostis Eccle-
 siæ Dei, quemq; propter impietatem
 à Deo reiectum esse sacra historia re-
 statur. Nero autem omnium, qui vix-
 erunt, crudelissimus & turpissimus ha-
 bitus fuit, idem & sæuissimus Christia-
 norum hostis. Quid ergo, cùm tales
 essent, de ijs dicere non licebat id, qd
 res erat, si quando res exigeret: & qui
 dixisset, is in Deum, in terrã cœlumq;
 esset iniurius? Sint ergo literæ sacrae
 inu-

iniuriæ in Deum, quæ Pharaonem talem fuisse tradunt, qualem diximus, cumq; totū velut graphicè nobis depingunt. Sit David iniurius & blasphemus in Deum, qui tot locis de Saulis & aliorum hostium suorum iniurijs & iniquitate queritur: illos nominat viros sanguinum & dolosos, leonibus & alijs feris bestijs ad vim & fraudem intentis comparat, illis etiam toties exitium à Deo denūciat. Ergo & Christus magnam iniuriam fecerit præpotenti Deo, cum Herodem appellavit vulpem, dicens: Dicite vulpi illi, Lucæ 13. v. 32. Tu quid sit reges à Deo dari, ignoras: qui credidisti, quia essent à Deo, aut nullos malos esse & impios, aut cum tales sint, nunquam tamē tales esse pronūciandos. In quo quantumtopere erres, cū res ipsa te docere poterat, tum ex superioribus sacrarum scripturarū exemplis cognoscere potuisti. Et res ita habet: Vbi sunt publica regum malefacta, publicæ turpitudines, & cæ, quæ ad contumeliam Dei feruntur, & perniciem Ecclesiæ: si quis ea dicit & memoriæ mandat, cum ho-

nos Dei & salus Ecclesiæ postulabit, is eo facto non solum nullam iniuriam facit præpotenti Deo, sed etiam maximum & sanctissimum obsequium Deo præstat, illius gloriæ seruiens, & salutem proximorum ac posteritati consulens. Sic enim iudicia Dei manifesta fiunt, & ira aduersus peccatum. Inde quoque pijs materia patientiæ & consolationis parata in posterum, qui intelliget omnibus temporibus sic Deum exercuisse Ecclesiam suam, & probasse suorum fidem, & nihilominus Ecclesiam suam aduersus omnes huius mundi & Satanæ insultus seruasse. Est verò planè festiuum testimonium tuum, qui de vobis ita scribis, nos, qui pijs sumus. An sint apud te aliqui pijs, qui id sentiant, quod dicis, nescio: hoc scio, si qui sint huiusmodi, his te insignem facere iniuriam, qui te inter illos numeres. Sed de eo fortasse postea plura audies suo loco.

Vt autem etiam probes hunc principem à crudelitate abesse, producis nobis testes, ac primum testem aduocas & nobis opponis Polonorum gentem

rem innumerā (sic enim scribis) eam-
 que generosam & illustrem, quibuscū
 post electionem rex annum egit inte-
 grum. Quid ergo illa dicit? an hoc au-
 ctore eadem illam antè patrata nō
 fuisse? Et vbi extat hoc eius gentis te-
 stimonium? nam ne tu ipse quidem,
 quid illa dicat, aut vbi probetur id te-
 stimoniū, in scripto tuo posuisti. For-
 tasse intelligis hoc Polonos satis de-
 clarasse, cum illum elegerunt. Sed ni-
 hil prohibet quò minus inferiores à
 potentioribus quibusdam victi in ele-
 ctionem consentire coacti sint, quam
 alioqui iudicijs suis non probabant.
 Deinde quid vetat plerosque ex pri-
 moribus & potētioribus pecunia cor-
 ruptos esse, præsertim Papistas, & eos,
 qui eam eadem in Gallia aduersus fi-
 deles factam, propter odium religio-
 nis gaudebant? Sed etsi non esse crude-
 lem principem antea Poloni omnes
 iudicauerint, quid tam mirum est, si
 sint falsi exteri procul dissiti, ad quos
 de istius principis virtute & humani-
 tate summa omnia deferri & fingi à
 ministris regijs potuerunt? Postremò
 vt ma-

ut maximè se dicant hunc pro crude-
 li non habere, tamen hunc talem non
 esse, aut nihil crudele admisisse, certo
 dicere non possunt: & si pro testimo-
 nio dicant, audiendi non sunt, quia ha-
 ius facta non viderunt, cum cædes illa fie-
 ret. in Gallia non fuerunt. si quid habet
 de ea cæde, nihil præter auditum habet.
 Ac quamuis tota Polonia fuisset tum
 in Gallia, negetque se quicquam vidisse
 in eo principe crudele, non tamè effi-
 citur talem non esse: cum factum ne-
 gantes nihil affirmant.

Producis etiam nobis de istius cle-
 mētia & humanitate testem Galliam
 vniuersam. Accipio testimonium. Ac
 primū contra te faciant necesse est
 omnes illæ regiones & vrbes, quæ ab
 hoc defecerunt: item innumera mul-
 tudo eorum, quos cōtumelioso vo-
 cabulo Hugonotos appellatis. Nisi o-
 mnium vox hæc est, hunc maxima ex
 parte consciū & auctorem fuisse illius
 cædis, non recuso, quin is pro omniū
 mortalium humanissimo & clemen-
 tissimo habeatur. Sed quid sentiant
 fatis & Rupellæ obsidio, & arma Hu-
 gono-

gonotorum, & aliorū suscepta, & constantissimè ad hunc vsq; diem retentantur. Non sunt hi idonei testes, in- quies. sunt enim inimici & illum ode- runt. Concedo: neq; id nūc agitur, an verum dicant, necne. nunc mihi satis est, dum vinco te apertè falsum dixisse, cum dixisti vniuersam Galliā huic testimoniū præbere summæ clemen- tiæ & humanitatis. Ego autem in hac causa non Hugonotorum tantūm re- cipiam testimoniū, sed omnium Gal- lorum, qui scire possunt aliquid de re- bus Gallicis.

Primū de Politicis, qui se quo- que aduersus hunc armauerunt, pu- to, non dubitatur: vt si qui adhuc re- stant in Gallia, qui aliud testificentur, hi nō vniuersam Galliam, sed tertiam partem constituent. Sed ne in hac quidem parte repudio eos, qui, vt di- xi, sciunt quomodo se res antea ha- buerint in hac cede: quorum vnus hic est consensus, hunc præcipuè illius cę- dis auctore extitisse. Quòd si oēs ad- uersarij contrà testificentur, in qui- bus esset vniuersa Gallia, nā tu nobis opti-

optimos testes opponeres, qui rogarentur vt in suo facto testimonium dicerēt, quàm piè, quàm humanè, quàm clementer se cum suo duce & auctore gessissent.

Sed reuersus ex Polonia proposuit indulgentiam (sic enim loqueris) scditionis omnibus, qui modò resipiscerēt & ad bonam frugem redirent. Hoc tu clementiæ & humanitatis signum vocas? At hi, qui experti fuerunt, proditiōnis ac certi exitij signum, si quis fideret. Nempe tale humanitatis signū dicitis, quale fuit, cū istiusmodi indulgentiam (vtar tuo verbo) frater eius Carolus sæpè suis edictis obtulit: scilicet vt cum omnes habere cœpisset in potestate, tum incautos per speciem seditionis & factionis omnes delendos curaret. Ipse antea fecerat cū fratrem nouas se iniurias accepisse existimabat. Fuiſſet in sanorum, si quis huic scripto crederet. Et ne aliunde probationes petamus, tu ipse id ita fieri debuisse Hugonotos istos doces, cū postea stultū Admiralium fuisse scribis, qui literis Regis crederet. Nullum igitur

igitur in hac oblatione humanitatis
 signum, sed proditionis & perfidiæ il-
 lius consuetæ, cuius opinionem hu-
 manus iste Princeps iam antè tot mo-
 dis confirmasset. Deinde, ineptè, qua-
 le hoc fuit scriptum ad humanitatem
 auctoris probandam, ubi indulgentia
 offertur seditiosis? Prius ergo hoc cri-
 men in se admittere debuerunt, se es-
 se seditiosos. Et an potuit ille aperti-
 us iudicium suum de illis declarare,
 quàm hoc verbo? nam sic est omnium
 regum ingenium, & meritò, vt seditio-
 sos non ferant. A te autem vocantur
 seditiosi hi, qui tanquam oues ad ma-
 ctationem vocati erant, quibus hoc
 vnum maximè à vobis vitio vertitur,
 quòd vocatæ vltro iugulum non præ-
 buerint. Sed enim duces quosdam
 seditiosorum istorum nuper ad se ac-
 cersuit Lugduni, & vt ad se redirent,
 cum illis egit optimus Princeps totis
 viribus omniq; conatu: sic enim scri-
 bis. sed nequidquam, inquis. duriora
 enim rebelles ferro pectora gerūt. Se-
 ditiosos istos si intelligis Politicos il-
 los, de quibus iam omnes audiuerūt,

hi tibi, vt videtur, pro se respondebūt
sciūt enim, opinor, quid susceperint,
& quàm rectè. Sin intelligis eos, quos
appellatis Hugonotos, futile menda-
cium est. Quis enim nescit illis in ro-
toregno, ybi Papistæ regnant, ac præ-
cipuè in aula, non esse, non dico tutū
locum, sed ne locum quidem? Quòd
si egisset Princeps cum illis ducibus,
vt vis: continuòne illum clementem
fuisse probares? Si enim seditiosos ali-
quos constaret fuisse, & cùm posset si-
ne incommodo suo perdere, serua-
set, idq; constantia vitæ declarasset: tū
illum humanum & clementem oster-
deres. At cùm ij, quibuscū etiam pa-
fancita erat, & quidem omnibus reli-
gionis vinculis, huius autoritate & p-
fidia proditi & cęsi sint: quandiu facta
clementiæ & humanitati contraria vi-
debo, tandiu clemētem & humanum
principem non putabo: tantumq; ab-
est, vt qui tum illi dicenti fidem non
habuerunt, ideo indicandi sint gere-
re pectora ferro duriora, vt omniū sa-
norum iudicijs, atque adeò tuo, infa-
ne, non sanos haberi oporteret, qui il-
li cre-

li credidissent. Quòd dixit Zacharias Monlucium ad mentiendū mercede conductum, non fers, & quæcunque de homine præstantissimo, integerrimo, verissimo dici possunt, ea illi tribuis prolixissimè. Pateremur abs te de illo dici omnia, cui & nos omnia bona & salutaria precamur, nisi huc spectaret oratio tua, vt in omnibus, quæ narravit, quæq; probavit in hac causa, illum veracem esse ostenderes, vt ipse declaras fol. 3. pag. 1. Quod cum longè aliter se habeat, & ad opprimendam bonam causam referatur deniq; non deerimus ipsi bonæ causæ, quin quantum nobis largitus est Deus, tantum nos ad eam defensionem conferamus. Quod dum facimus, non feres molestè, si, quod necesse est, interdū, quæ nolis, vera de illo audias: vbi non vt diceremus de Monlucio aut cōtra Monlucium, quidquam à nobis susceptum est, sed vt veritati & officio satisfaceremus. Ergo, vt dixi, hoc tibi institutum est de Monlucio, vt conquiritis omnibus, quæ ad laudem faciūt, vt virtute, genere, honoribus, dignita-

tibus, pietate, veritate, cum in omnibus præclarum aliquem & præstantem hominem, ac veluti Deum, & in summa verissimum & religiosissimum, & à mendacij & vilis conductionis suspitione alienissimum faceres. Atqui ille ceteris in rebus verus & religiosus legatus, in hac causa cõvincitur à Zacharia apertè falsa dixisse, & veritatem atque innocentiam malo more oppugnasse. Quin igitur id agimus, quod res postulat, & omissa persona Monlucij, quæ ad rem nihil pertinet, de defensione ipsa Zachariæ quærimus? Tu verò qui scias, qua in causa, & quam desperata atq; damnata verseris, hunc scopulum refugis exemplo magistri & patroni tui, & vt fucum imperitis facias, in personæ commendatione delitescis. Sed & hunc fucum tibi detrudere conabimur. Ais fateri Zachariam dedisse Monlucium tota vita multa documenta grauitatis, prudentiæ, pietatis, integritatis, benignitatis atque iustitiæ. Nihil horum scripsit, aut sensit Zacharias. Aliud est enim Monlucium prudentem habitum esse, à religione

gione non alienum, rerum bonarum studiosum: aliud prudentiæ, religionis, iusticiæ magna documenta dedisse. Prius Zacharias scripsit: sed ex eo posterius illud tuum, quod illi falso affingis, non colligitur. Ac ne sensisse quidem eum satis arguit, quod subiecit, Monlucium ad istam opinionem sibi apud homines conciliandam sub specie integritatis, seueritatis, & moderationis morum ad tempora vsque infelicitis illius legationis latuisse. Et si alijs in rebus significationem istarum rerum dedisset: tamen in hac cæde vel occultanda, vel excusanda, & innocuo sanguine accusando, insanæ cuiusdã improbitatis & ambitionis certissima documenta consignauit.

Sed Monlucium satis commendat Principum aulæ omnes. Non potuisti certius vituperare, & superiorum virtutũ laude priuare Monluciũ, quàm cum illum aulis Principum omnium commendari scripsisti. Optimos verò nobis pietatis & religionis iudices atque æstimatores dicis aulas principũ: vbi omnia semper fuisse valde corru-

pta, & præsertim iudicia de virtute, omnium historiarum monumentis proditum est. Nostris autem temporibus, ad quæ senectâ mundi peruenit, omnia corruptissima esse scimus. Aulæ Principum laudarent veram pietatē, religionem, fidem in Monlucio, ipsæ ad omne vitium, ad omnes corruptelas, ad blasphemias, ad omne nefas veluti prolectę: in quibus nihil in laude est, nisi simulatio & dissimulatio: quibus pietas, religio, fides, ludus est ac summum probrum? Atqui etiam commendant Monlucium Respublicæ vniuersi orbis, quas adiit legatus. Nihilo meliores iudices aut æstimatores virtutis nobis producis. Deinde alijs in rebus fortasse commendarint Monlucium, quia se honestè & cum dignitate in ijs gesserit. In hac quidē, de qua agitur, cum tam turpiter se dediderit, neq; laudetur ab illis vnquam, neque si laudetur, aliter quàm fallō & prauè laudari potest. Sed tamen liber ex te sciscitari, vnde, aut quomodo ista rescieris. Adiuisti, credo, omnes Respublicas vniuersi orbis, omnes omnium

mnium Principum aulas, & omnium
 præclara iudicia audiuisti de Monlu-
 cio, aut etiam illa publicis actis confi-
 gnata ad te omnes miserunt. Ex quo
 apparet cui rei & quàm integrum te-
 stimonium in ea re amico tuo præbue-
 ris. Vt autem scias nos plura hîc scire,
 quàm tu, aut certè in re vera cognita
 non esse ita nos affectos ad mentien-
 dum, vt tu es: en tibi profero Pasquil-
 lum olim Romæ de Monlucio affixū,
 ex quo tota illa vrbe quod de illo iudi-
 cium fuerit, longè illi tuo cōtrarium,
 & quàm te nihil pudeat, omnes pos-
 sint cognoscere.

PASQUILLVS ET
 MARCHORIVS IN
 Monlucium.

M. Pasquille omnimoda doctrina, artisq; ma-
 gister,

Verborum antiquas, quaeso, resolve notas.

Dic mihi, quid mons est? P. Sublimis ver-
 tice res est,

Saxis scabra, feris peruia, plena niue.

M. Quid lucus? P. Res est obscura & consita multis

Arboribus, furti mater, alumna mali.

M. Hæc quid iuncta? P. Vir est elatus, perfidus, omni

Labe tumens scelerum, luxuriosus, amans.

Amens, imprudens, & plus addictus amicæ

Quàm Regi, Gallis dedecus, atra lues.

Non hîc nobis oppones tenuitatē & obscuritatē vr̄bis. Roma est totius Italiæ caput. Non dices ab aduersarijs Hugonotis esse conscriptum carmen. nondum enim hoc nomen inter vos auditum erat, cum carmē expositum est. Et hæc ille audiit in vr̄be omnibus fidelibus & pijs, & vt nunc appellatis, Hugonotis infestissima, vbi hostiū caput Romana illa meretrix sedet, vt de odio ex religione concepto queri nō possis. Ac vide quàm hic Pasquillus tuis illis laudibus respondeat. Si tibi credimus, fuit Monlucius in obeundis legationibus religiosus, castus, verax, strenuus. Pasquillus quasi dedita opera ad te redarguendum, aut ad tibi obfistendum factus, omnia ista ex pro.

professio negat. Plus est fidei in vna littera Pasquilli, quàm non dico in toto isto tuo ridiculo testimonio, sed in te toto tam integro & religioso teste. Plus in illo auctoritatis, quàm in mille tui similibus ad veritatē oppugnandam, & aliorum perniciem natis.

Sed est Monlucius strenuus in legationibus, & vt tu loqueris, efficax, id est, vt conijcimus, homo industrius, & qui multum potest ad id efficiendū, quod vult. Ego isto sensu etiam efficacissimum dixerim, vt ex illa superiore Polonica intellectum est. Sed primū hoc elogium personę ineptē cum hac causa coniunxisti, quod ad eam nihil pertinet. Deinde habet ille hęc artem cum veteratoribus & mendacissimis atq; impudentissimis hominibus cōmunem, qui nihil facile impetrant ab exteris, nisi gnauiter & impudenter mentiantur. ex quibus plerosque ita esse comparatos videmus, vt si opus sit, non dubitent etiam iusiurandum sanctē interponere, quò fallant nocētius & efficacius. Et cūm satis fuerit tibi illa verbo ponere, nempe aulas o-

mines principum cōmendare Monlu-
 cium, Respublicas itē vniuersi orbis
 atq; hoc vociferari, Monlucium reli-
 giosum esse in legationibus, castū, ve-
 racem, strenuum, efficacē : tu quasi o-
 mniū testimonijs ijsq; certissimis ista
 probasses, sic inueheris in Furnesterū,
 quasi illum insigniter impudentē esse
 oporteat, quòd homo nullius precii
 furtius, clancularius, tot tantisq; e-
 logijs publicis durum os suum oppo-
 nat. Vbi ergo sunt illa elogia publica
 nam præter testimonium tuum nihil
 hīc audio : quod quanti faciendum
 sit, suprā ostendi. Deinde etsi illa e-
 sent elogia quę dicis: magis tamen pu-
 dere te oportuit, qui illis de virtute &
 religione censoribus ac iudicibus sis
 vsus. Postremò de cæde illa vestra
 & immani scelere agitur, cui in lega-
 tione Polonica verum & fidele patro-
 cinium Monlucius præstitit. De hu-
 ius in eo patrociniō religione & fide
 nullæ aulæ principum, nullæ Respu-
 blicæ, quod sciam, testificantur. Ego
 autem plus dicam, si sint eæ, quæ rem,
 vt se habeat, compertam habeant,
 nullas

nullas non esse facturas, Monlucium
 in ea defensione nequiter & impu-
 denter mentiri ausum esse. Nam quod
 dicis eum esse hominem liberrimum,
 eum veracem & religiosum esse siue
 in hac siue in alia causa non probat.
 Potest enim & homo nequissimus
 in eo quod mentiri instituerit, esse li-
 berrimus.

Sed iam sequuntur illa, quæ saltem
 manifestæ & impudentis calumniæ
 conuincant Zachariam, quòd Mon-
 lucium dixit, vt falsum diceret, fuisse
 mercede conductum. Quid enim, in-
 quis, est tibi Monlucius veluti ex cir-
 culis petitus præco quidam, vel ex fo-
 ro rabula, vocem qui prostituat suam
 & verba locet? Vir omnibus rebus
 summis clarus, & in quem quiduis ca-
 dat potiùs, quàm vilissimæ istius con-
 ductionis suspicio: qui tot legatio-
 nes obiuit, quàm multas collegisti:
 qui claris natalibus natus est, & for-
 tissimo atque inuictissimo fratre ma-
 iore natu gloriosus: homo dignitati-
 bus, opibus & gloria florentissimus:
 idēq; gratissim⁹ & amicissimus regib⁹.
 hunc

hunc,inquam,tantum virum Zacharias vilissima mercede conductum dicere audeat? Erras, Anonyme, si Zachariam putas hoc sentire, Monlucium eadem mercede conductum, qua præcones & rabulæ conduci solent. Illi enim quavis mercede etiam vilissima, in rebus minimis vocem suam locant, id tanquam artificium quoddam ad vitam tuendam exercentes. Non sic Monlucius: cui nihil vile aut abiectum proponitur in illa legatione Polonica, sed summa & præclara omnia: favor principis, & Reginae matris maior & certior, quam vnquam: Episcopatus & Comitatus Valentinus, quæ nisi beneficio Regis & Reginae matris retineret, ea iam pridem opera Pontificis Romani vnà cum vita amisisset. magnæ opes: stipendia ampla: & illa denique quæ filio illi suo, quem omnibus rebus cumulatum cupit, prolixè cogitat. præ quorum amore & studio pridem Christo & vitæ æternæ nuncium mandavit, neque id ignarus, quid agat, sed ad exitium suum etiam ingeniosus: solummodo vt illum filium suum.

suum, quàm amplissimū & florentissi-
 mum relinquat. Quoties enim ab illo
 auditæ sunt hæ voces, cū hoc præsen-
 te & eum indicans diceret familiari-
 bus quibusdam & amicis: Hic adole-
 scens interitus mei causa erit? dum sci-
 licet hoc significat se illius augēdi stu-
 dio ita teneri, vt quiduis ea gratia fa-
 cere paratus sit & faciat, quæ tamē in-
 telligat se sine iactura salutis suæ face-
 re non posse. Hæc est illa merces, si ne-
 scis, quam Zacharias intelligit. Quic-
 quid enim istorum consequitur Mon-
 lucius, id operæ Regi & Reginae matri
 benè locatæ merces est, non Monlu-
 cij patrimonium. Siue enim Episco-
 patum illum & Comitatum spectes,
 quem obtinet, siue stipendia, siue di-
 gnitates & honores, siue ea quæ spe-
 rat: omnia sunt regis, quæ que ex illius
 vnius liberalitate etiā nunc pendent,
 nec aliunde potest habere. Nam quod
 de huius natalibus scripsisti: eius pa-
 trem fuisse valde tenui in re omnes
 sciunt: hunc autem etiam prima æta-
 te fuisse Canonicum regularem, vt vo-
 cant, temporibus Francisci regis pri-
 mi,

mi, ne fortè propter splendorem gene-
 ris aut facultates domus iste superbi-
 at. Sed & fuit tempus, cum idem reli-
 gionis nomine, quam sequi & cui fa-
 uere videbatur, Romano Pontifici in
 spectus fuerit. quo nomine cum ali-
 quando & Regi ipsi & Reginae mari-
 venisset in suspicionem: optimè inte-
 ligit se hanc suspicionem à se auerte-
 re nō posse, multoq; minus se eorum
 volūtates, & illa quæ ab illis percipit,
 posse retinere, nisi ad omnia illorum
 mandata, ad omnes nutus sese prom-
 ptissimum, & singulari quodam præ-
 ter ceteros modo obsequentem præ-
 buerit. Quo obsequio dum illa nō in-
 feliciter se retinere videt: hac illum vi-
 delicet mercede ad illud obsequium
 duci dicimus. Tu ipse etiam illi merce-
 dem legationis suæ esse constituram
 fateris, cum fol. 5. p. 2. de illo ita scribis,
 vix forsan eum vllam dum etiam Po-
 lonicę legationis mercedem nactum,
 quàm honorem & gloriam immorra-
 lē, quæ sola abundè ei satisq; est. Quid
 æfert, cuius rei mercedem illi propo-
 sitam fuisse dicas, dum mercedem esse
 fatea-

fateare? An vlla re magis afficiuntur ambitiosi homines ad aliquid audendum, quàm honore & gloria? Sed non fuit profectò inani hac gloria contentus, vt diceretur solū benè aliqua legatione functus esse. Gloriā fructuosam isti quærunt, non inanē. quemq; fructum hic captauerit, & nūc captet, superiora satis ostendunt. Neque verò vnquā tam stultus esset Monlucius, vt religionē, quam ipse aliquando verā esse erat professus, quam eandem etiam editis libris, licet suppresso nomine, defenderat (huius enim est ille liber Gallicus, cui titulus est: Admonitio ad reginam matrem) vt illam, inquam, religionem desereret nulla egregia defensionis suæ proposita mercede. Non ergo vilissimæ conductionis inculat Monlucium Zacharias, ne fortè rabulam aut præconē aliquem à nobis fingi putes. Nos illum magna mercede proposita ductum esse fatemur: mercede tamen. Quòd si nulla merces fuit: tantò ille impurior & nequior, qui gratis & quia libebat, nocēs esse maluit. Quid? si istius propositæ

merce-

mercedis, quam dicimus, argumenta sunt illa omnia, quæ tu aduersus eam collegisti. Quod enim ais illum varijs & magnis legationibus functum esse, declarat ingeniũ Monlucij ad res magnas & magnas mercedes assuetum. mediocri mercede non esse contentum. Quod fratrem, vt dicis, magnum habet, accedit hoc etiam ad materiã ambitionis, augendamq; in illo cupiditatem gratiæ & beneficentiæ regiæ quibuscũq; modis aucupandæ. Nam qui non tantũ filium, sed etiam fratrem augere cupiebat, quiduis susciperet, vt etiam hunc quàm amplissimum videret. quod & reuersus ex Polonia consecutus est. hanc enim inter alia operæ suæ mercedem tulit, vt frater iste adipisceretur eum locũ, à quo antea toties turpiter erat repulsus. De Natalibus iam respondi. Dignitates verò, opes, gloria, eaq; amicitia, quam à Rege eum consequi dicis, ambitionis & cupiditatum Monlucij totidem argumenta sunt. Ambitio modum & finem quærendæ augendæq; dignitatis & honorum non habet. & dum ne
 istius.

istiusmodi hōminibus quidquam de
 honoribus & priore dignitate dece-
 dat, quiduis audeant: dum autem e-
 tiam augeant, nullam recusent condi-
 tionem, cupiant etiam morte depaci-
 sci. Neque huius ambitionis argumē-
 tum est vllum certius, quàm quòd, epi-
 scopus cum sit, rebus publicis & regijs
 ita implicetur, vt in his tractandis ma-
 ximam partē ætatis contriuerit: nūc
 etiā ad extremū libris vel per ipsum,
 vel per alios editis de tam egregia ope-
 ra in negotijs regum & regni impensa
 seriò gloriatur. Quòd si etiam nō mi-
 nus certum quærimus, vnde, quæso,
 homini alioqui obscuro illæ dignita-
 tes, opes, gloria, quibus eum florere di-
 cis, nisi ex pertinaci ista & cæca haben-
 di & crescendi cupiditate: cū homi-
 nes præstantissimos, & summis locis
 natos, quibus egregia virtus & natura
 ipsa summos honores & dignitates
 conciliarant, istis rebus, quia viri bo-
 ni erant, excidisse sciamus? Vnde ille
 episcopatus, turpis & probrosa obse-
 quiorum merces, nisi ex hoc vno fon-
 te? Sed enim liberalissimus est Monlu-

lucius & inuicti animi aduersus diuitias. Quid refert, si ambitione & honorum cupiditate vincitur, vt illum his rebus transfuersum duci, vita eius tot annorum in istis honorum fluctibus iactata, & ille episcopatus & aulicus fauor declarant? Illud mihi silentio prætereundum non videtur, quòd tu Monlucium scribis regibus esse gratissimum & amicissimum propter liberam ingenuamque loquendi facultatem, nullis contaminatum adulationibus, & breuiter, ideo amicum esse, quia vera dicat, & sit alienus ab omni adulatione. Fieri potest, vt in consilijs regum inueniantur viri integri & veri, & qui, quia non studeant in rebus malis placere, ideo nec vnquam principibus adulentur: quanquã hoc rarum exemplum est. Illud incredibile est, ideo eos placere regibus, quia vera dicant, nec loquantur ad nutum & voluntatẽ principis. Verum est enim vetus illud, quod omnium temporũ experientia comprobauit, nostra autem tempora clamant esse verissimũ: Obsequium amicos, veritas odiũ parit.

rit. Quod si vsquam locum habet, ha-
 bet maximè apud reges: qui quia om-
 nia se posse & sibi licere putant, ideo
 aduersantes non ferunt. quia etiam
 se amant, & de sua virtute & præstan-
 tia omnia summa existimât: ideo suo
 favore & sua amicicia indignos iudi-
 cant, qui non eadem cum ipsis senti-
 ant, faciant, & loquantur. Vt autè in-
 telligatur, in adulationis suspitione à
 Monlucio amouenda quàm sis verus
 & procul ab adulatione: legatur epi-
 stola Monlucij prior ad Poloniæ or-
 dines, quæ cum eius defensione excu-
 sa est, in qua mirifica scribit de duce
 Andegauensi. tum si qui sint, qui il-
 lum ducem viderint aliquando, aut
 de eo audierint ab ijs, qui viderunt
 & nouerunt, intelligent plenam es-
 se epistolam assentationis non cuius-
 libet, sed putidæ & vecordis. quam e-
 tiam hodie cum legit Monlucius, si
 tamen legere sustinet, mirum, ni si-
 bi totus displiceat, & iam diu sepul-
 tam velit.

Sed iam tandem ad extremum tibi
 subijcitur, quo semel atq; vno ictu mi-
 serum

ferum istum Zachariam cōficias, probesq; quod hactenus tam multis egesti, Monlucium non esse à rege mercede conductum. atque ô subtile planè & penè diuinum tuum argumentum. Monlucium, inquis, partem consilij regij cùm esse indico, satis hoc vno improbo, quod ille impudenter iactat, Monlucium à rege mercede conductum. exteros enim conducimus: vti- mur nostris: rei nostræ conductio nulla est. In argumento breui, in quo re tam acutè differuisse putas, & Zachariam confodisse, incredibilis stupor tuus & singularis imperitia detegitur. Nam si, quia Monlucius est pars consilij regij, eius opera conduci à rege non potest ob eam causam, quòd rei nostræ conductio nulla est: necesse est ideo hac ratione id colligi, aut quòd Monlucius sit res regis, eodem modo in dominio regis, vt sunt res nostræ priuatæ, aut quia in regula superiore iuris rem nostrā intelligere debemus eam, quæ est etiam in famulicio, ac non in dominio tantum. Elige vtrum voles. vtrum feceris, maximus, inquam, tuus

tuus stupor in vtraque parte, ac non
 tantū imperitia animaduertetur. Vis
 Monlucium esse in dominio regis, vt
 ita verè sit regis? & certè id te dicere
 necesse est, si vis argumentum proce-
 dere. Ita enim regula de conductione
 rei nostræ ad rem facit, si ea res, de qua
 agitur, nostra sit, id est, in dominio no-
 stro. Ergo Monlucius seruus, cum libe-
 ri non sint in dominio cuiusquam. Er-
 go omnes, qui in consilio regis sunt,
 pariter serui: nec voluntate & iudicio
 tantū serui, sed mancipio & condi-
 tione personæ. At quamobrem? opti-
 ma illa tua ratione, quia sunt pars cõ-
 filij regij: atq; ita quæ res maximè no-
 bilitate putatur eos, qui ibi sunt, ea te
 auctore in contrarium versa seruos fa-
 cere reperietur. Sed & illud vide, quan-
 ta sit vecordia tua in genere ipso de-
 fensionis. Nam qui defensionē susce-
 pisti Monlucij, hîc deprehenderis ita
 eum defendere, vt excusatio magis cū
 lædat, quàm vnquam offendere po-
 tuit accusatio. Vilius est enim multò
 & ad extremam abiectionem turpius,
 se totum alicui semel mancipare pre-

cio, vbi libertatē tuam amittas, & do-
 minio alieno subijciare, quā liberta-
 te sua retenta alicui, cū velis & quā-
 diu velis, operam locare mercede. Ita-
 que cū prius ideo suscipis, vt poste-
 rius reijcias, apparet te, qui Monlucium
 defendere volebas, hoc vno eum infā-
 gniter prodidisse. Dicerem abste-
 ctum summa perfidia tua & preuarica-
 tione, nisi studium summū illius de-
 fendendi sese in omnibus partib⁹ scri-
 pti tui ostenderet. vnde singularis a-
 mentia & imperitia relinquitur, quæ
 notetur in hac defensione. Vis ergo
 potius, quia Monlucium rem regis, id
 est, seruum & mancipium regis dicere
 iam non audebis, nihilominus eius o-
 peram conducī nō posse, quia is sit in
 familia vel famulicio regis, idq; effici
 regula iuris, quæ dicit rei nostræ nul-
 lam esse conductionē? & quæ hæc im-
 peritia iuris est, regulam de rebus do-
 minio nostro nō subiectis accipi, quæ
 regula de conductione rei nostræ scri-
 pta est? Quod si rem nostram sic acci-
 pis, vt omnes accipiunt, eam quæ est
 in dominio nostro, quis stupor est in
 causa

causa seria eam regulam accommoda-
 re ad Monlucium, quæ tu ipse liberum &
 liberrimum esse concesseris: cum liberi,
 ut dixi, non sint in dominio cuiusquam:
 denique non sint in numero rerum priuata-
 rum? Monlucij igitur conductio etiam
 tua ipsius ratione esse potest, ut & ce-
 terorum liberorum hominum. nec ad
 rem pertinet, quod est addictus regi
 Monlucius, quod in eius consilio &
 famulicio est. Hoc enim ipso maxime
 probatur, eum conductum esse, quod
 cum liber sit, non seruiat: vel, si mauis,
 operas suas non præbeat, nisi merce-
 de. En patronum Monlucij, en dignissi-
 mum hominem, qui ex omnibus amicis
 Monlucij, præter ceteros, eius defen-
 dendi partes sibi sumeret. Ego verò si
 maxime indigeam patrono, & mihi iste
 sit amicissimus: tamē prius quàm eum pa-
 tronum feram, non recusem à iudice pe-
 tere, ut hunc patronum det aduersario,
 tum mihi neminem dederit. Ac, nisi
 acumen hominis mihi alijs in rebus
 perspectum esset, parum abesset, quin
 eum putarem serio præuaricari, & cum
 Zacharia colludere.

Eodem ingenio atque acumine & mendacij crimen à Monlucio in ijs, quæ continenter sequuntur, amolitur conatur bonus patronus. Nam cum ad huius criminis depulsionem ingeminasset suum illud, falsam esse Pseudozachariæ orationē, falsi scilicet nominis orationem falsam: quod quàm nugatorium sit, suprà ostendi: quid deinde scribit de laudibus, quas Monlucius principi suo reddidit, cum de regno Polonico haberentur comitia? Ipse his laudibus commemoratis, hæc sunt, inquis, tibi, Pseudozacharia, mendacia. esto: sint. Nec iam igitur deincepste arbitro vlli sint pararij, nulli sequestres pacis, nulli nuptiarum conciliatores, nulli laudatores, nulli nominatores. Quid, tu, præscriptor bone, concedens hæc mendacia esse, satis ad defensionem & excusationem dici putas, si factum exemplo eorū, qui sunt sequestres pacis & conciliatores nuptiarum, defendas: qui sæpè ea dicunt quæ non sunt, vt pacem promoueāt, & nuptias inter eos, de quibus agitur, concilient? Vis ergo non per omnia vera

varia hęc
a. 1700

vera esse, quæ in ea commendatione scripsit Monlucius, & plus æquo laudasse suum Principem: sed tamen nõ esse, quòd Zacharias eo nomine Monlucium reprehendat: quia in ea petitione, quam institueret, ita mentiri licuerit. Quod quid aliud est quàm id ipsum, quod Monlucio obijcitur, confiteri? Et an videtur hoc tibi causam agere, ac non potius & Monlucium & Principẽ ipsum prode aduersarijs? Interim seriò dicis ita licuisse mentiri Monlucio, & Zachariæ irascens valde illi vitio vertis, quòd ipso arbitro deinceps nulli eiusmodi admittẽtur sectestres, nulli laudatores, aut conciliatores. Quod te facere non miror, vt qui sed eas in castris eorum, quorũ in fidei capitibus hoc vnum est, mentiri non esse malum, si fiat ad bonã intentionem. Ervt magis intelligatur licuisse Monlucio in ea petitione id facere, ponis absurdum ingens, quod ex sententiã Zachariæ consequetur, si id non permiserimus. Quid enim, inquis, si Monlucio iterum esset insinuandus iste Princeps? nempe Zachariã

cōsultorem si sequeretur, sceleratum
 diceret, sordidū, ignobilem. Malè mē-
 tē Zachariæ accipis. Monlucius si eun-
 dem iterum Polonis, vt loqueris, in-
 nuare vellet, & me cōsultorem adhi-
 beret, quid factū esset opus ad eam rē
 dicerē iisdem mēdacijs opus esse, qui-
 bus antea ille vsus est, aut, si fieri pos-
 set, maioribus & pluribus: quia veris
 rebus conciliari iste princeps non po-
 test. Itaq; si ponis hanc conditionem
 vt velis illum conciliari aliqua ratio-
 ne, non potuit alijs modis cōmodius
 fieri, quàm his, quos secutus est Mon-
 lucius. Quòd si me roges, quid Mon-
 lucius faceret in ista legatione, si officio
 viri boni & sapientis fungi vellet: sua-
 derem omnino, ne istum insinuaret
 Polonis, néue vnquam rei tam parum
 honestæ & tam periculosa legatione
 susciperet: in qua vera dicens de suo
 principe, contraria petitioni suæ dice-
 ret, ex quo necesse esset legatum cum
 sua petitione irrideri & eijci ab omni-
 bus: falsa autē dicere & mentiri in ea
 causa sine flagitio & turpi scelere non
 posset. Si nō impetrarem, quò minus
 vellet

vellet legationem aggredi: suaderem,
 vt vera diceret, aut taceret potius, quã
 mentiretur, ne falsa commendatione
 incautos in magnum aliquem erro-
 rem & fraudem induceret. Neq; cum
 suaderem, vt vera diceret, idcirco sua-
 derem, vt sordidum diceret aut igno-
 bilem: quæ de illo principe dici non
 posse omnes scimus. Siue enim gen^o
 spectetur, siue potentia: nemo negat
 esse illum ex amplissima & maxima to-
 tius orbis Christiani domo, affluentē
 rebus & opibus regijs. Sed aliud est no-
 bilem esse & magnificum, aliud bo-
 num regem, non tyrannum, non cru-
 delem, non sitientem humani & pij
 sanguinis. Quæ cum detrahuntur i-
 stis facibus orbis, non est mentem su-
 am opplere omni genere vitiorum,
 mendaciorum, calumniarum, spurci-
 tiarumq; vt tu inepte rhetor, odij ad-
 uersarijs creandi causa, conuicijs ex-
 triuio malè consarcinatis ridiculè
 balbutijsti: sed est id dicere, quod
 res est, & quod nos D E V S facere
 iubet, quoties est opus: & præfer-
 tim cum istorum fallis laudibus ve-
 ritas

ritas Dei, & vera religio oppugnātur,
piorum incolumitas & salus petitur.

Sed ecce tibi homini iam obliuio-
so penè exciderāt studia afferendæ ve-
ritatis impugnandiq; mendacij, quæ
olim in Monlucio luce clariora extite-
runt, quamdiu ei Valentij suo munere
re fungi, profiteri & annunciare verbū
Dei per nos licuit. Age igitur, quoniam
hoc loco ita tibi videtur, ea audiamus.
Dic ergo, quæ sint ista studia, quæ ista
veritas, cui afferendæ inuigilauit Mon-
lucius; quod mendacium, quod ille
tam studiosè impugnauit. Hæc enim
à te sunt prætermittenda: de quibus cum
disertius nobis responderis, libenter
optimi theologi responsum audie-
mus. Etsi autem nobis tacentibus vi-
ta & facta Monlucij satis probant, qua-
lis sit Episcopus, & quàm nihil minus
curet, quàm veritatem: tamen vt li-
queat magis de fide & studio veritatis
vtriusque vestrum, libet insequi dili-
gētius, quid sit illud quod dicis. Nam
si veritatem intelligis illam doctrinā,
quam inter Catholicos Romanos ver-
sans iucundè in sinu rides: egregia stu-
dia,

dia, egregiam veritatem dicis, propter
 quam nobis Monlucium extremo lo-
 co, vt verum, tantopere commenda-
 res. Sin veritatem intelligis eam, quæ
 sola veritas est, id est, Euangelium lu-
 cis, æternum illud verbum, quod no-
 bis Pater patefecit in Filio, qui solus
 est via, veritas & vita, vt verbo Dei, q̄
 sequitur, significare videris: mirum di-
 cis extitisse olim ad eam veritatem af-
 ferendam tanta studia Monlucij, qui
 eam nunc non dicam prodat silentio
 suo, sed etiam tam apertè oppugnet.
 Et quæso, quid isto argumento effeci-
 sti, nisi vt Monlucium bis improbum
 cum suo isto studio & ingenio fuisse
 probares? Ac vide etiam, si illam veri-
 tatem esse dicis, & quidquid aliunde
 est, esse mendacium, in quæ retia tete
 induas miser. Si Euangelium est illa
 æterna veritas: cur à vobis oppugnan-
 tur ij, qui eam veritatem profitentur?
 quales tibi videntur ij reges, qui eam
 igni, ferro, exilijs, omni genere sæuitiæ
 & crudelitatis persequuntur? qualis il-
 la cædes, cuius tu, impure, defensionē
 cum patrono tuo suscepisti, quæ in
 cos

eos omnes, qui veram illam religio-
 nem professi erant in Gallia, patratum
 est hoc solo nomine, quod essent pro-
 fessi, ut impia abiuratio illius religio-
 nis, omnibus qui ex eo numero resta-
 bant, imperata satis testatur? qualis
 Monlucius, qui illum, qui inter prae-
 cipuos eius caedis auctores numerare-
 tur, non erubuit in caelum ipsum ve-
 here laudibus, dignissimum regno Po-
 lonico regem praeter ceteris omnibus
 profiteri, eoque usque ut eadem ipsam ge-
 nere ipso caelo & terrae detestabilem
 non iniuria factam, differere auderet
 qualis tu, miser, qui te ad illam defen-
 sionem alterum patronum ita adiun-
 xeris, ut omnium aliorum probra ad-
 versus veram illam religionem longe
 anteires? Et tu veritatis cognitae pro-
 ditor, veritatis mentionem audes fa-
 cere, nec cum haec nominas, iudicium
 Dei pertimescis? Scilicet nostri Mon-
 lucium Valentiae suo munere fungi
 profiteri & annunciare verbum Dei
 prohibuerunt. Et quid aliud quasiue-
 runt unquam, nisi ut in ijs locis, in quae
 venissent, annuncietur & vigeret ver-
 bum

bum Dei? Et quod ad Monlucium at-
 tinet, nihil fuisset priuatim nostris o-
 prarius, quàm id ab eo fieri, qui vel
 mutatione vitæ, vel nouo atque illu-
 stri exemplo posset multorum com-
 mouere studia ad veritatis cognitio-
 nem, eosque ab errore ad lucem Euan-
 gelij reuocare. Sed Monlucius hono-
 rum & dignitatum veterū iacturā face-
 re nolebat. Christum nudū & sub cru-
 ce agentē sequeretur, si quis vult. Hoc
 Monlucius, delicijs aulicis & splendo-
 ri regio assuetus, talis & tam chari filij
 pater, talis & tam magni atq; inuicti
 ducis frater, nunquam faceret. Hæc v-
 na causa est, quæ obstirrit Monlucio,
 non vis aut iniuria cuiusquã. Nam ꝑ
 garris, nos non esse improbos oēs, sed
 me & mei similes facellū aliquod an-
 gulariū obsidere, ꝑ tamē numerū vix
 caperet, cū alij incedant tēplo ꝑ quo
 & plano, quo liberū spacium est, quo-
 niam, quid sit, nō intelligo, permittā
 prudentiæ tuæ interpretari, & facel-
 la ista vestris idolis sacra relinquā tibi
 & tui similibus. Illis me Deus per suā
 misericordiam iam pridem liberauit.

At enim

At enim nos inuasimus Valentiam
 Ideone ex illo non licebat Monlucio
 Valentiaē annunciare verbum Dei? at
 qui illa occupata, tunc primū verbum
 Dei illic audiri cœpit & florere. Non
 ita, scio, id nunc vocas, cui lucrosū
 putas id negare: neque enim gratis id
 facis: sed nō eō minus id verbum Dei
 est, quod tota Gallia per illa tempora
 annunciatum est: & quod postea Va
 lentię propè ambitiosè, vt tale, es pro
 fessus. Immò, inquis, intentauimus
 etiam Monlucio necem. Expectabā
 dum probares vbi, quando, per quos
 & quamobrē. quod cū feceris, tū
 tibi credem⁹. Nam vt tibi fides habeat
 tur non probanti, frustra postulas. pro
 hibet non tantū persona tua, qui ad
 mentiendum & fallendum natus vi
 deris: sed multò magis rerum circum
 stantia & temporis. Intentauerunt no
 stri Monlucio necem. Superiores au
 inferiores? nempe superiores, cum Va
 lentiam occupassent. Et nondum au
 diui Monlucium fuisse in armis, vt no
 stris armatis resisteret. Ergo ij morē
 intenterunt, qui ijdem occidere po
 tuerunt.

tuerūt. Constat non occidisse. ex quo
 intelligitur eos noluisse occidere, co-
 que nec mortem Monlucio intentas-
 se. Faciamus tamen intentasse. Ideo
 verus & veritatis amans Monlucius,
 de quo nunc quæritur? Finge etiam
 fuisse à nostris occisum. continuóne
 fuisse virum bonum & verum probas-
 ses? Nisi esset turpe me testimonium
 reddere nostrorum partibus, quarum
 studio sæpe homines peccant, dicerē
 etsi illi mors intentata esset à nostris,
 tamen hoc potius argumentum esse
 debere, non esse talem Monlucium,
 qualem persuadere conaris. Qui si fu-
 isset vir bonus, & tam veritatis amās,
 quàm dicis, nunquam illi vllum fuif-
 set periculum ab ijs, quos cōstat tum
 tēporis nihil quæsiuisse, nisi vt aduer-
 sus iniurias quorundam Euangelij &
 publicæ pacis hostium, pijs Deum pa-
 rē inuocantibus, & Euangelij prædica-
 tioni tutus locus esse posset in Gallia.
 Sed non ita agam, ne videar te imita-
 ri. Hoc tantum dicam, quod ambitio,
 facta, tota q; vita Monlucij euidentissi-
 mē ostendunt, neque veritatis afferen-

da verè studiosum yn quã fuisse Mon-
 lucium, & si aliquando visus esset, tan-
 tò deteriozem & deestabiliorem hu-
 ius perfidiam videri debere, quòd ab
 illo cognita ea, quæ sola veritas est
 repugnante conscièria oppugnetur.
 Itaque irridemus & te, & putidam
 adulationem tuam, cum illum & tunc
 minis, & nunc quoque verbis, vt tu
 vocas, infamibus à nobis impeti di-
 cas, quia doleamus scilicet deesse tan-
 tum approbatorem facinorum no-
 strorum. Facinora nostrorum in il-
 lis armis, quæ antè gesta sunt, non-
 dum ostendisti, ac ne ostendere qui-
 dem in tota tua accusatione conatus
 es. quo minus mouemur hominis fu-
 riosi conuicijs. Approbatorem au-
 tem Monlucium tantum abest, vt
 quisquam nostrum optet sibi dari, vt
 tum demum omnes pij meritò du-
 bitare possint, num quo & ipsi ma-
 gno errore teneantur, si causam reli-
 gionis & suam ab homine vsque a-
 deò à veritate auerso approbari vi-
 deant. Aeterna veritas Dei, id est, E-
 uangelium quod nos profitemur, ho-
 minum

minum iudicijs & approbatione non
 indiget. Facta & arma nostrorum in
 medio sunt, nec admodum deside-
 rant approbatorem. Quod si require-
 rent, non adhiberemus Monlucium,
 ne si vellet quidem, postquam qualis
 esset, tã turpi defensione & oppugna-
 tione innocui sanguinis declaravit.
 Vobis talibus approbatorib⁹ est opus,
 quibus impietates, sacrilegia, parrici-
 dia & placent & laudi ducuntur. Ad eas
 res habeatis sanè approbatore^m Monlu-
 cium, si videtur, aut si quis est alius ad-
 fassum incrustandū aptior. Vobis ta-
 les defensores & approbatores nō in-
 videmus. Nec metuemus, ne nobis sit
 fraudi, q̄ illo defensore carebimus, dū
 tu hoc loco omnis generis probra in
 nos congeris, & religionē nostrā. Nam
 quod ad facta attinet, nō vereor, ne il-
 la, cuius mentionē in toto tuo scripto
 tam diligēter refugisti, illa, inquā, an-
 te hac inaudita, & omniū seculorū fe-
 ritatē, immanitatē, perfidiam superās
 cædes, ad omnem æternitatem poste-
 ritati testatū faciat, omnibus ætatib⁹
 lōgè lateq; vociferetur tuos esse, tuos,

inquam, esse illos Catholicos, quorum
 factum & religionem defendis, non solum
 in quos illa competat, quæ tu ab
 illis sumpta immerentibus objicis, sed
 nesti furores, cædes civium, popula-
 tiones, grassaturæ, latrocinia, summa-
 rimis miscere, nihil pensi habere pro-
 fus ad tuendam societatem humanam,
 tuendos priuatos focos, legesq; publi-
 cas, quæ omnia, vt sunt tuorum facta,
 possunt leuia videri: sed etiã esse eos
 de quorum furoribus, crudelitate, pî-
 dia, sacrilegijs dici nihil vnquam pote-
 rit, quã id rerum indignitas & dete-
 stabilis turpitudine longè superet. Ca-
 tholicos cum dico, eos intelligo, qui
 eius cædis vel auctores, vel patratores,
 vel defensores fuerunt, in quibus re-
 infelix, inter antesignanos esse volui-
 sti. Neque enim eos lædi volo oratio-
 ne mea, quibus illa cædes non placuit.
 quo in numero fuisse scimus & esse q̃
 plurimos: qui illam cædem ita sunt de-
 testati, vt exhorrescerent, testarēturq;
 post id factum nihil posse, nisi extre-
 mam iram Dei aduersus id regnũ ex-
 pectari. Quòd autem nos religionem
 veram

veram obtendere dicis, induentes per-
 sonam moresq; Satane, qui sub specie
 religionis plerunque decipiat incau-
 tos, à qua tamen abhorret plurimum:
 magis moueremur hoc cōuicio, quo
 nullū fieri potuit maius, nisi sciremus
 ipsum etiam æternum filium Dei idē
 audiuisse, cū ei diceretur ipsum in
 Beelzebub principe dæmoniorū eij-
 cere dæmonia: nisi ijdē verbo Dei do-
 cti, & omnium temporum experien-
 tia didicissemus, hanc esse conditio-
 nem piorum, hoc Diaboli & Mundi
 odium & furorem aduersus sanam do-
 ctrinam & fuisse, & perpetuò fore, vt
 veræ religioni falsæ & impiæ nomen
 tribueretur, pij tanquam Dei contem-
 ptores reliquorū hominum velut ho-
 stes, publicæ pacis perturbatores, om-
 nium etiam malorum auctores vulgò
 haberentur. Sed non ideo tu, sacrilege
 apostata, insignem istam in æternum
 filij Dei verbum contumeliam inultā
 feres: qui scias, certè olim didiceris,
 quam Gallicæ Ecclesiæ religionē, quā
 doctrinam profiteantur. Extat enim
 iam olim regi oblata, & toties typis

excusa earum Ecclesiarum fidei confessio, qua summa doctrinae, qua sunt professae, continetur. Hanc scito me vnâ etiam cum illis profiteri, meq; ei ecclesiae adiungere, cuius illa doctrina & confessio est. Hæc nihil habet Satanicum. huic qui se dediderunt, hi Satanicam & mores eius omnesq; tui similes Christi hostes ex animo detestantur & fugiunt. Alios si intelligis, quos dicis eierare religionem omnem, vel suam irridere non minus, quam veterem inolitamque diu, aduersus hostes licet tibi dicere, quicquid libet. Ego me eos seriò odisse & execrari profiteor. Quod si tibi non probabitur, non laborabo: vt qui seruam Deo, qui me iudicabit, & reddet vnicuique secundum opera sua. Nam quòd me cuiusdam alius libri auctorem facis, quem tu nequissimum & impurissimum vocas, neque eum apertè edis de me tibi respondeo, nullum vnquam à me editum aut cogitatum esse istiusmodi, qualem describis. De libro ipso, vt sunt ea quæ de eo audiui ab alijs, possem tibi respondere, nisi pu-

si putidum esset in alieno scripto ingeniosum videri velle. Sed & illud iniuriosum est ipsi auctori præripere defensionem, qui solus scire possit, quid, quamobrem, & qua fide scripserit.

Quod addis meam defensionem aduersus Monlucium illi libro esse similem, & vtriusque inspectionem arguere, auctores ambos Dei nullum adorare numen: ille alius quisquis est, quem ego non noui, de se & suo libro dicet, ut volet.

De meo hoc dico, satis te veritate & certitudine illius defensionis refelli: in qua nihil dicitur, quin ita probetur, ut nisi de Monlucij persona aliquid instituisse scribere, quod in ea actione reprehenderes, non haberes, ut tua, quæ sequuntur, facile declarant. Sed illud in primis, quòd totum eum locum, qui erat de cæde, & auctoribus, tum causis cædis accurato silentio transmisisti. Tu abominandam piorum lanienam cum tanto scelere & perfidia coniungam detestari: huius cædis patratores

& defensores improbos homines pu-
 tare: aduersus sacrilegas istorū calum-
 nias pium & innocentem sanguinem
 defendere: veritati & verbo Dei, atque
 adeò Deo ipsi honorem suum asserere
 conari: denique veritati præbere tes-
 timonium, quæ sunt omnia capita il-
 lius defensionis: hæc tu impietatis ar-
 gumentum esse dicis, hæc eius homi-
 nis, qui nullum adoret numen? Immo
 tu impius & execrabilis, qui quæ cer-
 tissima sunt pietatis & humanitatis
 officia, ea tu non tantum hominibus
 excutere conaris, sed etiam flagitiose
 impietatis nomine condemnas. At
 sunt illic ea dicta in principes, princi-
 pū legatos, amicos, domesticos, subdi-
 tos, quibus ne vilissimus quidem ga-
 nco ullus, aut lanista, aut prædo coo-
 pertus possit esse omnibus. Si in illis
 etiam plura fuerunt & maiora, accu-
 sentur ij, qui perpetrarunt, non ij, qui
 officio & necessitate defensionis ad-
 ducti, iustæ causæ, & veritati, & miseris
 fratribus deesse non potuerunt. At il-
 la coniecta sunt in probos. Hanc verò
 cruenta apostata, impios illos & exle-
 ges

ges ficarios probos vocas? Nam in cædis illius auctores, & patratores, defensoresq; illa dicta sunt, nō in alios. Sūt, inquis, excogitata & conficta flagitia. Immò ita certa & explorata, vt præter Monlucium & te nulli admodum inuenti sint, qui inficiari auderent.

Itaq; iam intelligis non fuisse, cur his de causis Zachariam impium fuisse diceres, qui nescio an magis pio & Christiano officio fungi potuerit.

Multò verò minus erat, cur in optimos fratres Geneuenses inuehereris, quòd diceres conniuere eos ad calumnias istas, & summa probra, & quòd paterentur istos scriptores secum placidam & tutam non animam, vt tu loqueris, sed vitam viuere. Nam si maxime delinquerent hi scriptores, non tam æquum fuerat ciuitatem optimam, & erga afflictos beneficentissimam, alienis delictis onerari. Tum autem nō sunt calumniæ ea cōuitia, quibus certiora nunquam fuerunt. Probra sunt, fateor, quæ dicuntur: sed quæ sibi inuenerunt auctores ipsi, non quæ immeritis ingerantur. Quæ vt contrà essent,

tamen religio ipsa, quam profitebitur
 quid commeruit, ut putares dignam
 quam propterea suggillares? O quan-
 tum, inquis, hæc res religioni vestra
 odium, quantam offensionem parat.
 Eset huic exclamationi locus, si prius
 impiam aliquam religionem, aut fal-
 sam ponerēs. Eset enim cōsentaneū,
 ut qualis ipsa est, tales redderet cultores,
 ac propter mores improbos cultorum
 cresceret odium etiam aduersus
 religionem. Nunc autem maledicendi
 studio cæcus, & ignorans, quid scri-
 bas, tu religionē esse confiteris, & eam
 cuius decoris nitor splenduerit initio
 & claruerit olim prius quàm quisquā
 ageret, quod agūt ferè omnes hodie
 quæ elogia nisi in veram religionē nō
 conueniunt. Si vera hæc fuit initio re-
 ligio, ut re cōcedis, & nunc manet ea-
 dem doctrina fidei: quid de ea mutant
 eorum, qui profitentur, mores? An do-
 ctrina & religio Christi falsa, quia du-
 odecim cum illo fuerāt, quos ipse al-
 sumpserat, & vnus ex his erat diabo-
 lus? Absit. immò Deus verus in om-
 nibus: omnis autem homo mendax.

Ex quo apparet quanto odio piorum
 & veræ religionis tenearis, qui prius
 quàm desit, quòd his malefacias, ma-
 lis quiduis dicere, paratus etiã statue-
 re aduersum te, quàm prætermittere
 vllam maledicendi occasionem. Et
 quòd attinuit te excipere paucos quos-
 dam, quos dicis esse prisca probitatis
 inter nostros, cum in doctrina eandẽ
 omnes profiteantur religionem? Sed
 Scriptura testatur, quæ res Euangelio
 odium & offensionem conciliet. Ioã-
 nis cap. 3. Christus ait: Hæc est condẽ-
 natio, quòd lux venit in mundũ, & ho-
 mines magis dilexerunt tenebras, quàm
 lucem: propterea quòd opera eorũ ma-
 la sunt. Hinc illud odiũ Mundi aduer-
 sus pios, quod Christus suis perpetuũ
 fore denunciat: Si eritis odio, inquit,
 omnib. propter nomẽ meũ, Matt. 10.
 Itẽ: Si mundus vos odit, scitote eũ me
 prius odio habuisse. Nõ est seruus ma-
 ior domino suo, si me persecuti sunt,
 & vos etiam persequentur, Ioan. 15.

Expatiatuſ alieno loco, & quãtum ti-
 bi viſum eſt, in omniũ piorũ & veræ re-
 ligionis cõtumelias: iã redis ad Mõlu-
 cium,

cium, & deinceps illum cædis illius pã
 tronum non fuisse contendis, idq; ita
 intrepidè & confidenter, vt quasi ni-
 hil esset certius, & vulgò notius, quàm
 eum non fuisse, ita Zachariam, qui id
 affirmare ausus sit, insanum non dubi-
 tes appellare. In quo admirabilis tua
 cernitur non iam impudentia, quam
 tamen perditam esse apparet, sed po-
 tius stultitia, qui nō animaduertas id
 te scribere de ea defensione, quæ sit in
 omnium manibus, qua lecta possis e-
 tiam ab imperitissimis refelli. Nam cū
 patrociniū omne versetur in his parti-
 bus, vt quis vel factum neget, quod fa-
 ctum esse dicitur, vel dicat nō hoc no-
 mine appellari, vel iure factum defen-
 dat: nō solūm has omnes partes Mon-
 lucius attigit ad defensionem regis,
 sed etiam in singulis ordine est immo-
 ratus. Hoc amplius cum in ea defensi-
 one tam abominandi sceleris necesse
 esset multa existere flagitia Monlucii,
 quæ & suis nominibus oporteret no-
 tari, quod & à Zacharia factum erat: tu
 priusquam de defensione Zachariæ
 vera esset, necne, iusta, an iniusta, non
 dicam

dicam quidquam probasses, sed etiã
dixisses, statim vt in re explorata, in cõ
uitia solita prorumperes, non conten
tus insanum vocare Zachariam. addis
etiam eum non minus fecisse flagitio
sẽ, immò etiam magis, quàm qui san
guinem illum, quem luget, profude
runt. scriptionem eius feralem, cruen
tam, manadem. Non sunt insani, aut
improbi, qui vera scribunt, vbi est opus,
& ita scribunt, vt id quod verum erat,
sanis verbis & ad rem accommodatis
liquidò tenere potuerint. quod defen
sio ipsa Zachariæ factum esse facilè p
babit: ac tibi probasset, si tu attentè le
gisses, aut potius si quid sanitatis ad
huc tibi post illum morbum reliquũ
factum esset. Non est feralis aut cruen
ta oratio eius, qui ferales istos & crue
ros sacrilegos execratur omnes, & ad
uersus quos solos eius fertur defen
sio: in quibus est Monlucius sacrilegio
rum & parricidiorum patronus. Mæ
nades. quæ sint, melius ipse quàm q̃
quam mortalium exemplis domesti
cis & tuis ac quotidianis doctus scire
potes. ego, Deo gratia, adhuc non di
dici.

didici. Ipsa oratio, an sit talis, ut cogno-
 scatur, nihil in eo meis verbis aut tui
 proficitur. de se ipsa apud oēs loque-
 tur. Quin igitur de causa ipsa cogno-
 scimus, videmusq; iure, an iniuria
 dicatur esse Monlucius qui à Zacharia
 esse dictus est? Et verò id ita facere in-
 stituis, facilè ut appareat in omnibus
 partibus defensionis tuæ optimū au-
 ctorem ubique sui esse similem. Non
 potuit Monlucius, inquis, antequam
 in Poloniã proficisceretur, eius rei pa-
 trocinium suscepisse, quæ nondum e-
 uenerat. Demus ita esse, quod tu tam
 diligenter probare conaris. Quid hoc
 aduersus Zachariam, Non enim dixit
 Zacharias, Monlucium suscepisse hoc
 patrocinium priusquam proficiscere-
 tur in Poloniam, sed tantum extitisse
 eius cædis patronum, & nominatum
 eius cædis patræ, nō patræ. Quod
 si tantum dixisset eum extitisse eius
 cædis patronum: tamē idem dixisset.
 Is enim, opinor, cædis patronus dicitur
 tur, qui cædis iam factæ patronus est,
 non futuræ. Nam ea quæ nondum
 facta est, non est cædes. Nunc autem
 sic

sic verba sunt Zachariæ de Monlu-
 cio pagina trigesima, repente in hac
 infelici legatione ingenium prodens
 sceleratissimi illius, & omnium, quæ
 post hominum memoriam vnquam
 audita sunt, maximè detestabilis, &
 nuper à Rege Gallia in eo regno pa-
 tratum est, defensor & patronus exti-
 tit. Cuius ergo facinoris defensor ex-
 titit? eius quod patratum erat à Re-
 ge. Quando? tunc, cùm iam patra-
 tum esset. Sed tu fortasse ex eo, quod
 Monlucius antè, quàm proficiscere-
 tur ex Gallia, non potuit eius rei,
 quæ nondum euenisset, patrocini-
 um suscipere, efficere vis eum eius
 sedis nunquam fuisse patronum. Et
 verò id te sentire ex eo apparet, quòd
 in propositione Zachariam incre-
 pas, quòd Monlucium fecerit illius
 facinoris patronum: tu autem id po-
 stea refellens hoc argumento vteris,
 quòd non potuerit Monlucius an-
 tè, quàm proficisceretur, id patroci-
 nium suscipere. Et quòdnam, quæ-
 so, hoc genus argumenti est? An
 non potuit Monlucius suscipere pa-
 tro-

tröcinium in itinere? annō potuit in
 Polonia, vbi primū de cæde certior
 est factus? Immò verò & potuit, & ali-
 quādo id eū fecisse defensio eius, qua
 postea secuta est, palām testatur. At
 nim hoc modo nō potuit Monlucius
 à Rege esse conductus ad mentiendū.
 Primū à Rege conductum non dixit
 Zacharias, sicut nec dixit, quando
 esset conductus, sed simpliciter dixit
 conductum. Deinde, cur non potuit à
 Rege ipso esse conductus ad mentien-
 dum in hac causa etiam prius, quā illi
 la cædes euenisset? Annon potuit ac-
 cipere generale mandatum à Rege, ut
 quidquid putaret ad petitionem re-
 gni Polonici facere, id diceret, faceret
 quidquid postea incidisset in quo in-
 telligeret & Regem & fratrem defen-
 sione indigere, hanc susciperet sedu-
 lō, nec vnquam, si fieri posset, rediret
 nisi exorator? Quid? annon potuit et-
 tiam patrata iam cæde agere Rex per
 legatos suos cum Monlucio, ut in eius
 facti defensionē incumberet: per eos
 inquam, legatos, quos non ita multō
 post in Poloniam missos fuisse constat.
 Ergo

Ergo profectò cùm hoc loco patrocini-
 um hoc ante profectiõnem Monlu-
 cij non fuisse susceptũ differis, vt hinc
 probes eum non fecisse, quod illum
 omnes fecisse vident: apparet te ma-
 gno conatu ferire aërem, vt aërem nõ
 esse probes. Vt iam si quis hïc te insa-
 nire dicat, non sumat conuiciũ ex tri-
 nio, vt tu facere soles, sed id dicat, q̃
 res ipsa ostendit omnibus: vt etiam, si
 quis de eo dubitet, non minus videat-
 ur, quàm tu, insanus. Iam verò quid
 refert ad defensionẽ Monlucij ipsum
 dici non suscepisse patrociniũ faci-
 noris illius antè quã eueniret, si pòst,
 quàm patratum est, suscepit? At con-
 stat illũ suscepisse. Est enim defensio
 eius in medio, quam tu repudiare nõ
 potes. Tu ipse paucis pòst interiectis
 verbis id confiteris, qui Monlucij scri-
 bis negauisse in itinere, contigisse eam eg-
 dem in Gallia: aut si contigisset, dixis-
 se non iussu principum factam: aut si
 iussu principum, magnam igitur iu-
 stamq; aliquam interuenisse causam.
 Sed id affirmavit, inquis, tantũ, quia
 ita præsumebat, nondum accepto cer-

to nuncio. significans tantum hæc obiter dicta esse, vt in re adhuc incerta, & ab eo, qui benè de suis principibus existimabat: non autem fuisse iustam defensionem. Si hoc paucis dixisset, ferri poterat, quod dicis. sed vt intelligeremus seriam defensionem fuisse, in omnibus partibus argumentatus est, & de numero occisorum, confirmans hunc non esse eum, qui diceretur ab aduersarijs, & de facto regis sanctè differēs, ac multis verbis artificiosè probare conans meritos fuisse Euangelicos istos, vt ita occiderentur, vt cęsi sunt. Ac vide hic etiam, vt egregiè hac parte Monlucium defendas. Monlucius, vt scribis, Polonis affirmabat eadem illam non contigisse in Gallia: aut si cōtigisset, non iussu principum factam. Dicere poterat salua fide atq; officio boni viri, se non credere, & monere alios, ne temerè crederent. sibi tam indignum facinus in tantis principibus incredibile videri. Nunc autem te auctore non ita esse pro certo affirmabat Monlucius, idq; etiam nõdū accepto certo nuncio. Mentiebatur

tur igitur Monlucius. Fallebat Mon-
 lucius. parū enim interest, vtrum quid
 falsum sciens affirmes, an ignorans
 quale sit, idem facias: cū temeraria
 rei ignotæ affirmatio sit eius, qui non
 laboret, vtrum verum sit, an falsum,
 quod dicit. Res, inquis, ei videbatur
 incredibilis, cui notissima erat iusti-
 tia principum. Quomodo iustitia in
 tam nefando & execrando facinore?
 quod si Monlucius id ignorabat, quo-
 modo ei fuit iustitia principū notissi-
 ma? In reb⁹ alijs fuit notissima, inq̄s:
 hoc facinus à Monlucio ignorabatur.
 Non debuit igitur in hoc temerarius
 esse ad affirmandū, q̄ ignorabat. Ut-
 cunq; est, fateris Monluciū, quidquid
 hic dixit, nō ex eo quod erat in re, sed
 ex eo q̄ putabat, dixisse. Ex quo illum
 etiam apud se, quatenus res falsa esset,
 mentitū esse cōfirmas. Sed maluisti in
 hunc scopulū incurrere, q̄ concedere
 Monluciū illius facinoris esse defenso-
 rē. Ita tibi accidit, q̄ stultis & mentien-
 tibus, vt dum malè cauendo vnū in-
 cōmodū vitāt, incidāt in aliud maius.

Insequeris deinde, vt videri vis, alias

partes defensionis Zachariæ, & in eo
 mendacij, atq; extremæ impudentiæ
 illū accusas, quòd ausus sit impingere
 hanc notam Monlucio, quasi is desti-
 tutus alijs argumentis, ex vultu Ducis
 argumentum duxisset ad crimen cru-
 delitatis ab eo depellendum. Negase-
 nim Monlucium hanc ex vultu Ducis
 fecisse coniecturam. Legantur ergo
 hîc Monlucij & Zachariæ verba, ex quibus
 intelligetur, tūne, an Zacharias sit
 verus aut impudens. Verba Monlucij
 in principio defensionis ei⁹ hæc sunt
 Cū nihil de eo accepissent, quod iu-
 re reprehendi possiet, calumnias con-
 fingendas sibi esse statuerunt. quarum
 prima & præcipua hæc est, quòd prin-
 ceptus ille, in quo nulla feritatis vestigia
 vnquam apparent, crudelissimus tam-
 en & immanissimus de repente fa-
 ctus est, vt impudentissimè asseuerat.
 Pro absurdo & impudenti mendacio
 habet, quòd iste princeps dicatur fa-
 ctus repente crudelissimus & imma-
 nissim⁹. Qua ratione? Vt pote in quo,
 inquit, nulla vnquā feritatis vestigia
 appareant. Hunc ergo vt ostenderet
 non

nō fuisse crudelem, sine dubio ex vultu eius argumentum duxit Monlucius. Sed an solum ex vultu? Non aliunde, vt locus lectus indicabit. Quid hīc Zacharias? meritō irrisit nugatorem, qui cūm ageretur de eo, quem ex illa eāde crudelissimum esse constaret, sic crudelitatis crimen elusit, vt nos reuocaret ad eius vultū, atque hinc humanitatis argumentum duceret. Simul rectē monuit videndum esse, qua fide ille ageret in rebus serijs, quæ non vsque adeo omnibus notæ essent, quem in notissimis ita se gerere videremus. Iudicent iam lectores, vtrum cūm hęc scripsit Zacharias, aliquid falsum affingat Monlucio, & in eo ferream frontē gerat, vt tu scribis: an potius tu ferreus, qui Monlucium ea dicere, quæ Zacharias solūm retulit, neges. Sed ne quid in hac quoque parte desit ad stultitiam defensionis, quōd modō argumentum ex vultu ductum tantopere in Monlucio refugiebas, vt illo indignum: ecce mutata sententia id rursus non malè inde duci defendis. Si rectē ducitur, non fuit vllum crimen,

aut vlla contumelia à Zacharia, cum
 id Monlucium dixit fecisse: vt nō fue-
 rit, cur vel tantopere succenseres Za-
 charia, vel rem non indignam Monlu-
 cio affictam, vt summam notam ab il-
 lo tam accuratè remoueres. Sin est
 vitiosum & sycophāticum id facere,
 id à Monlucio factū in hac causa pro-
 bare nō debuisti. Sed quomodo tan-
 dem nobis probas non esse reprehen-
 dendum, si quis ex vultu & ore sumat
 argumentum? quia non frustra, in-
 quis, doctissimi viri id dicunt, vt legi-
 mus in veterum Rhetorum panegy-
 rico quodam (sic enim rhetoricè lo-
 queris, cum si vnum sit panegyricum,
 id vnius rhetoris esse oporteat, non
 rhetorum) & non intelligis, ineptissi-
 me hominum, in laudationibus qua-
 cunque ad laudem trahi possunt, om-
 nia solere adulatoriè magis amplifi-
 cari, quàm verè. Ac si tibi argumen-
 tum placet, qualem fuisse Neronem
 dices, in quo adolescente humanum,
 modestum, ac penè virginalem vultū
 fuisse legimus?

Scripserat Monlucius in principio
 defen-

defensionis, sub Henrico huius Caroli patre multos viros ob Euāgelij professionem combustos esse: sed id auctoritate Senatus, non Regis factum, idq; intelligere non Gallos tantum, sed exteros propè omnes. Id in Henrico Zacharias nō exagitat tanq̄ impiè aut crudeliter factum, si modò Senatus auctoritas interuenisset, vt tu sine pudore hīc quoq; illi affinxisti: sed negat factū auctoritate Senatus, vt Monlucius excusabat: idq; probat exemplo Annæ Burgij, & argumēto totius illius actionis, quæ per id tempus Lutetiaē visa est, in qua non modò Senatum auctorem Rex non habuit, sed etiam repugnantem maxima ex parte & aduersantem, ac penè tum illius Senatus auctoritatem infregit. Nec alium tibi huius rei citabo locupletio-rem testem, quàm illum quem paulò post tantoperè laudas (& meritò laudas, si, quid laudares, intelligeres) Ferrerium, qui cū de rebus ad religionem pertinentibus, sententiam tum cū alijs multis fortiter dixisset, vnà cum alijs ægrè capitis periculū euasit.

Interrogat deinde Monlucius ibidē,
 cur aduersarij astutē dissimulēt, quòd
 infinita propè multitudo eorum, qui
 Euangelium profitebantur, in Germa
 nia, in Belgio, in Hispania, & alijs locis
 Caroli V. auctoritate flammis est tra
 dita. Hic scripsit Zacharias, defensionē
 videri episcopo Valentino dignam,
 quasi Henricus eò minus crudelis ha
 bendus sit, quia & alij magni princi
 pes eadem factitarint. Tu autem re
 prehēdis, quòd Zacharias dictū Mon
 lucij pro defensione Henrici accepe
 rit: cū potius Monlucius dicat ad
 uersarios id obijcere Henrici successio
 ribus, quod in Caroli successores con
 ueniat. Atqui hoc modo maximè de
 fensionem Henrici esse cōfirmas. Hoc
 enim tantum valet, ac si diceret, non
 fuisse, cur crudelitas Hērici magis ob
 stet filio eius in petitione regni Polo
 nici, quàm crudelitas Caroli obstat e
 ius successoribus. Hæc planè eadē de
 fensio est: nisi quòd hac tua interpre
 tatione interrogatio illa Monlucij ri
 dicula & nullius momenti esse inci
 pit. Dicerent enim aduersarij: nos dis
 simu-

simulamus, non vt patrocinemur suc-
 cessoribus Caroli: sed quia de tua lau-
 datione, Monluci, agitur, qua lauda-
 tur extra modum Henricus Henrici fi-
 lius. Hunc verò metuimus ob egregia
 facta cùm ipsius, tum patris atq; aui.
 A successoribus Caroli quòd metua-
 mus, nihil simile habemus. Quæ quo-
 niam non cuperet audire Monlucius,
 idcirco id Zacharias accepit, quod p-
 Monlucio magis faceret: ne deterius
 accipiendo, videretur Monlucio face-
 re voluisse iniuriam. In quo si Zacha-
 rias falsus est, culpam sustineatis, qui
 scripsit ita, vt scriptum in vtranq; par-
 tem verti potuerit. Sed semper hoc
 manebit, vtrum acceperimus, poste-
 riore interpretatione tua magis con-
 firmari & accusari Henrici crudelita-
 tem, quàm priore: siquidem quæ pu-
 blicò exemplo fiunt, iure putantur fie-
 ri: exempli autem æquitate sublata o-
 mnes qui malè quid fecerunt, quo se
 tueantur, non habent. Tu tamen nihi-
 lo secius ne nihil videreris hac quoq;
 in parte aduersus Zachariam dicere,
 ab Henrico crimen amoues, quòd nō
 F 5 cura-

curauerit occidendos immerētes, sed
 sumperit pœnas de fidelibus nostro
 iudicio, re autē vera de hæreticis: & q̄
 etiam si hæretici non essent, tamen di-
 gnus sit Henricus excufatione, q̄ vt rō
 erant tempora & peruagata omnium
 opinio, pro hæreticis haberentur. Pri-
 mūm qualis fuerit Anna ille Burgius,
 cui mortuo maledicis, quales ceteri
 quos hæreticorū nomine notasti, iam
 ostendi ad Zachariā nihil pertinere.
 qui in Henrico nō reprehendit, q̄ sub
 hoc rege multi religionis causa com-
 busti essent, sed q̄ Mōlucius ad eius de-
 fensionē dixisset, auctoritate Senat⁹,
 nō regis id factū esse, idq; etiam intel-
 ligere non Gallos tantūm, sed exteros
 propè omnes. Hoc, vt dixi, falsum esse
 docuit Zacharias, & ita probauit ex
 his, quæ Henricus in Senatu aduersus
 Senatū temporibus Annæ Burgij fece-
 rat, vt cūm tu inficiari nō posses, & ta-
 mē velles hic carpere aliquid, coactus
 sis orationē eò cōuertere, vt aut dice-
 res meritò de fontib⁹ ab Henrico sum-
 ptum esse supplicium, vtpote hæreti-
 cis: aut Henrici zelum excufatione di-
 gnum

gnum esse ostenderes. Itaque cum hęc
 cognoscere te scribis, Zachariã ne pi-
 lum quidem habere ingenui & sinceri
 animi, q̄ hoc loco facta Hērici tanto-
 pere incuset & exagitet: vide potius
 ne in eo à te nō tam sinceritas & inge-
 nuitas animi, quę in te nulla vnq̄ fuit,
 q̄ animus ipse vel mens requiratur, q̄
 quid Zacharias dicat, etsi scribit dilu-
 cidē, intelligere nō potueris. Nisi ma-
 lumus, q̄ est veri⁹, te, eum quid aduer-
 sus Zachariã scriptū diceres, nō habe-
 res, malitiosē vbiq; tibi mōstra finxis-
 se, q̄ deinde oppugnares, p̄ arbitrio, &
 in quibusad maledicendū tibi copias
 instrueres. Zacharias de Hērici stulta
 opinione, aut infano zelo nihil dixit,
 sed tantum de eius nō moderato, sed
 tyrānico imperio, huius, inquam, im-
 perio factū esse contra Senatus aucto-
 ritatē, vt cōstituerētur funestæ illæ in-
 quisitiones aduersus fideles, idq; ita fa-
 ctū esse ostēdit. Sincerus igitur & can-
 didus hac quoq; in re Zacharias, qui
 Monlucij falsum & impudēs dictū in
 eo refellit: tu autem nō minus niger,
 quàm ille Phormio apud Terentium.

Con-

Constituisi tamen omnino Henri
 cum omni crimine in hac causa libe-
 rare. quod si ita faceres, vt tantum illū
 clementissimum & humanissimū fu-
 isse diceres, liceret tibi per me eum ce-
 tiam cœlo loq̄are, si posses. Sed quo-
 niam hoc ita facere instituis, vt eam
 defensionem ad crimen bonorum, &
 veræ religionis accusationem confe-
 ras, non patiar, vt impunè Deo & veri-
 tati eius æternæ, ac fidelibus eius fer-
 uis maledicas. Henricus, inquis, pœ-
 nas sumpsit de multis q̄b religionem,
 sed de hæreticis: iudicio quidem no-
 stro de fidelibus: re tamen vera de hæ-
 reticis. & paulò pòst: seditio sola sup-
 plicio digna erat: quid praua de reli-
 gione opinio? Qui sunt ergo illi, quos
 occidi & cremari iussit Henricus? Hæ-
 retici, inquis. quid ergo profitebātur
 si vno verbo dicendum est, Euangeli-
 cam: si paulò pluribus, doctrinam Pro-
 phetarum & Apostolorū: illā ipsam,
 quam solam vera, sancta & Catholica
 atque Apostolica Ecclesia semper ag-
 nouit & professā est. Ac ne cauillari
 possis verbo ista à nobis dici, re autem
 non

non ita esse, posseq; idem dici ab here-
 tics omnib⁹: en designo tibi eam do-
 ctrinam & religionē, quam illi, de qui-
 bus dicis, sunt professi. Ea est illa reli-
 gio, cuius summam Gallicæ Ecclesiæ
 (quando de his nūc agitur) ante duo-
 decim annos ediderunt, & quæ edita
 passim legitur, & habetur in manibus
 omnium. Hanc illi doctrinam nobis-
 cum sunt professi, vel potius nos cum
 illis professi sumus. Non est verò alia
 doctrina vera, aut alia vera religio: cū
 sit ex ipsissimo Dei verbo & Euange-
 lio expressa. Tu negas, videmus: quia
 scis te gratum facere impijs & profa-
 nis, mundo denique, in quo versaris.
 sed quid refert, cū scriptum sit pub-
 licum, quòd & te & omnes mendacio-
 rum & blasphemiarū architectos im-
 prudentiæ & vanitatis convincit non
 apud tui similes, quibus de Deo & ve-
 ra religione nihilo plus compertum
 est, quàm Ethnicis: sed apud eos, qui-
 bus est vita æterna & tua salus curæ,
 quiq; se Dei verbo audientes præbēt.
 Hanc religionem professi non sunt fi-
 deles, inquis, sed heretici. Quinam er-
 go sunt

go sunt fideles? annon qui fide (à qua
 fideles appellatur) amplectuntur Chri-
 stum, regenerati in spem viuam vitam &
 salutis æternæ? 1. Pet. 1. c. 3. Quorū autē
 est ea fides? annon auctore Paulo ad
 Eph. 1. c. 1. & 13. eorum, qui audito ver-
 bo veritatis, id est, Euāgelio salutis no-
 stræ, ei crediderūt, & in eo acquiescūt,
 obsignante in illis Spiritu sancto pro-
 missionem hæreditatis æternæ? Fide-
 les ergo, & soli fideles, qui credunt &
 obediūt Euangelio. Vnde alibi ab A-
 postolo dicitur, Euangelium poten-
 tia Dei esse ad salutem omni credenti,
 Rom. 1. Sunt ergo fideles, qui vocē illā
 Patris audiunt: hic est filius meus dile-
 ctus, in quo ego acquiesco, ipsum au-
 dite. Fideles, qui huius verbo docti di-
 dicerunt hanc esse vitam æternam, vt
 cognoscant te, æterne Pater, verum
 Deum, & cum quem misisti Iesum
 Christum. qui ex eodem verbo statu-
 unt, nullum aliud nomen datum esse
 sub cælo, in quo nos oporteat saluos
 fieri. hunc esse, qui sit via, veritas & vi-
 ta. Fideles, qui ab hoc doctore & magi-
 stro docti certū habent, nisi quis eum
 con-

confessus fuerit coram hominibus,
 atque adeò in generatione praua, fo-
 re, vt non agnoscat eum corā Patre &
 angelis ei⁹. ideoq; hac voce p̄moti, vt
 illū confiteantur, nō dubitāt abijcere
 bona, sanguinē etiā atq; adeò vitā pro-
 fundere. Atqui hoc illi præstiterūt: il-
 li, inquā, serui Dei, de quib⁹ religionis
 causa supplicium sumptū dicis, quos
 hæreticos appellas. nec vllum illi affli-
 ctionū aut tormentorū genus recusa-
 rūt, vt agnū sequerētur, quocūq; iret.
 Fideles igitur, nō quia iudicamus, sed
 quia veritas Dei ita pronūciat æterna,
 certa, immutabilis. Poenas verò sum-
 psit Hæricus de fidelib. iudicio nostro?
 Imò & fidelib⁹ iudicio tuo, impure a-
 postata: si tamē aliquis sensus in te ma-
 net doni cœlestis, q̄ tu gustasti aliquā
 do. Quā enim religionem profiteban-
 tur illi? nōne eam quā tu tam seriò,
 tamq; religiosè, vt videri volebas, Va-
 lentia olim publicè professus es? nega-
 hoc, si potes. Sed tu eam postea pra-
 uam esse comperisti scilicet, & in er-
 rore cognito manere noluisti. Vbi e-
 rat igitur iudicium tuū, vbi prudētia,
 vbi

vbi eruditio, cum illam profitebare
 an hæc omnia tibi tum deerant? ne
 mo enim te eam profiteri cogebat.
 Quòd si illam tum nō satis cognosce-
 bas, vnde ista tanta lux, vnde ista do-
 ctrina, quæ te repente sapere docuit
 & errorem mutare? Credo, diligentius
 & attentius quàm antea, cœpisti inter
 Papistas cognoscere verbum Dei & in-
 te te exercere. Imò si id antea dicitur
 causa attingebas, postquã cœpisti in-
 ter illos versari, ita totum abiecasti, vt
 palàm etiam adolescētiam ab eius le-
 ctione vt pestifera dehortareris & de-
 terres. Fortasse boni viri & pij, & in
 literis sacris exercitati te melius do-
 cuerunt. Imò ex quo ad Monachos, &
 totam illam colluuiem tibi redire cō-
 tigit, non nisi cum profanis, impijs, & in-
 manium mortaliū imperitissimis ver-
 satus es. Vnde igitur, inquam, ista tam
 repentina institutio & cognitio, quæ
 excuteret tibi errorem tuum, & te ab
 errore longo in viam reduceret? nihil
 istiusmodi esse potuit omnino. Vnde
 intelligitur veram te religionem, nihil
 impius esses, iudicio tuo esse profes-
 sum,

sum, cum haberes scilicet per quos sa-
 peres, per quos verbum Dei audires:
 sed maxime cum tutum locum ei pro-
 fessione in Gallia fore tibi persuade-
 res. Quod autem eam religionem ab-
 iccisti postea, non cognitione aliqua
 noua, sed impietate factum esse, atq;
 illo in primis iusto iudicio Dei; qui hy-
 pocrisim tuam vltus mentem tibi oc-
 cecauit, vt quonia tibi placebat men-
 dacium, etiam crederes mendacio, &
 tandem etiam intrepidè aduersus cõ-
 scientiã huic ipsi mendacio te dares,
 Deo & verbo cœlesti illuderes, fideli-
 bus Christi seruis, & toti populo Dei
 malediceres, ei que etiam vltro insulta-
 res, vt te in ijs, quæ sequuntur, fecis-
 se exscriptione tua apparebit. At e-
 nim nos prauam illorum & nostram
 religionem esse inficiamur. sed non
 ideo nõ est praua. idem enim, inquis,
 inficiarentur Arriani, si cum eis res es-
 set, idem & ceteri omnes hæretici. Re-
 ctè diceres, si nobis sufficeret inficiari
 religionem prauam esse. Nos autem
 ad cõfessionem illam publicam fidei
 nostræ, & de fide eius ad verbum Dei
 J te

te reuocamus. Ex utroque iudiciū fieri poterit, an quidquam cum Arrianis aut ceteris hæreticis commune & consentiens habeat ea doctrina, quā proferremur: ac nō potius ea sit, quæ vna maximè hæresibus omnis generis aduersetur. At illos seditiosos esse testificantur sacratæ hostiæ valuis Ecclesiarum affixæ tunc temporis, & solenni die ferenti sacerdoti è manibus auulsa sacra. Ut te Deus cum istis blasphemis cōpescat, os sacrū & impudens. Quas hic nobis sacratas hostias dicitis? an est vlla hostia pro peccatis, nisi ea quæ pro nobis in cruce immolata est Iesus Christus? hanc te laudem Christo eripere, & ad res mortuas transferre? hanc verò tu hostiam valuis affixam dicitis? Sed quis est, qui sacratas istas hostias valuis affixas nominat? is qui eas ita irridet, vt nemo mortalium magis, quo nomine apud plerosq; bonos & pios viros ita se insinuauit iam olim, vt non dubitarent illi bonū istum sacratarum hostiarum assertorem virū bonum & pium esse affirmare, dum ei mendacium & idola seriò displicere putant.

putant. Sacra sacerdoti auulsa. Rectè
 sacra, si execranda intelligis, quo mo-
 do illud dictum est: Quid non morta-
 lia pectora cogis. Auri sacra fames? A
 quibus verò ista sacra auulsa? Improbi-
 tatem hîc spectemus hominis. nem-
 pe vnum dicit, qui ante annos quin-
 decim aut amplius id fecit Lutetiæ:
 & cum quidem de quo postea cõper-
 tum est, nō religionem cur id faceret,
 sed ab alienationem animi in causa fu-
 isse. aut verò alium quendam, qui idē
 dicitur fecisse Lugduni. Quid simile
 in tot & tam multis fidelibus seruis
 Dei dici potest, de quibus religionis
 causa tanquam de hæreticis supplici-
 um sumptum est? Quòd si nihil simi-
 le, quæ improbitas hæc est, ex huius
 aut illius facto eos, qui verè sunt pij,
 ad quos hoc crimen non pertinet, at-
 que adeò veram doctrinam condem-
 nare? Plebs, inquis, in arma concita-
 ta. magnam verò in primis & iustam
 causam naçta erat, cur cõcitaretur ob
 idolū fursuraceū loco motū. Sed esto,
 fuerit meritò concitata. cur tu eos in
 crimē vocas, qui nihil tale admiserūt?

Alia pleraque ab illis fuerunt nefaria.
 O si illa nefaria scisses, quàm cupidè
 toti orbi protulisses, qui cùm ridicu-
 lum illud factum superius haberes
 num aut alterum, quiduis potuisti su-
 scipere potius, quàm pati, vt id nō ob-
 ijeceres. Tu nefaria illa reticeres, qui
 ea, quæ non sunt nefaria, dixeris? Ex
 quo potest intelligi, maledicendi qui-
 dem occasionem sedulò abs te qua-
 ri: te autem vbique non minus à re, quàm
 à mente laborare. Vel seditio sola sup-
 plicio digna erat, quasi tu cum de vno
 misero homine, nec satis sano, item quàm
 altero dixisti, vicetis omnes pios & sa-
 nos esse seditiosos, à quibus eiusmo-
 di non solùm facta, sed etiam cogita-
 ta, atq; adeò factorum comprobatio
 abest quàm longissimè. Quid praua
 de religione opinio? inquis. Hæc in-
 Deum & verbum eius contumelia est.
 eam vlciscetur suo tēpore Dominus,
 omnis impietatis & blasphemiarum,
 vt omnium malefactorum iustus vl-
 tor & vindex. Tu prauam de religione
 opinionem vocas Euangelium, æter-
 nam illam veritatem & sapientiã, per
 quam

quã placuit Deo saluos facere creden-
 tes, vel vt alibi scriptum est, potētiam
 Dei ad salutem omni credenti? hanc
 enim illi communem nobiscum reli-
 gionem profitebantur, vt vita & con-
 stans fidei confessio declarauit. atqui
 hæc illa fuit religio, quam tu paulò an-
 tè descripsisti imprudens, cuius decus
 & nitor splenduerit initio & clarue-
 rit, idq; te auctore non immeritò, si in
 curriculo homines perstitissent. Sed
 nos celebria solemus nostræ opinio-
 ni, sanctaq; nomina prætere, Deū,
 veritatem, puritatem. Si Euangelium
 est, quod profitemur, vt est, quodq; il-
 li, de quibus religionis causa sub Hen-
 rico supplicium sumptum dicis, sunt
 professi: est meritò, cur tria illa vsurpe-
 mus, de que his certò gloriemur. Euan-
 gelium enim est viuum & æternū ver-
 bum Dei, 1. Pet. 1. c. 23. 25. Euangelium
 verbum veritatis, Ephes. 1. c. 13. Vt autē
 est in Psal. 19. præceptum Domini pu-
 rum, illuminans oculos. Solum hoc
 quærendum est, sit ne Euangelium &
 verbum Dei, quod sequimur. De eo
 cum ex doctrina, que publicè traditur

in Ecclesijs nostrorū, tum præcipuè ex
 cōfessione illa Gallicarū Ecclesiarum
 publicè edita, potest cognosci. Sed
 Henricus etsi supplicium nō sumpsit
 de hæreticis: tamē dignissimus est ex-
 cusatione, q̄a hæreticos esse existima-
 uit, & vt in illos ita animaduerteteret,
 putauit se teneri publicis regni legib.
 Lex erat, inquis, vetus, de hæreticis li-
 menda esse supplicia. Rectè de hæreti-
 cis, quos tales esse cōstaret: & sumēda
 per eos magistratus, quibus ea cogni-
 tio esset cōmissa. Quid horū ab Henri-
 co seruātū est in ea inquisitione Mer-
 curiali, ex qua tam multi pij ex princi-
 pibus consiliarijs in carcerē coniecti
 & Anna Borgius tandem igne crema-
 tus est? Sunt hi pro hæreticis conuicti
 & damnati? Imò dānati ideò, quia ve-
 ram religionem & verbum Dei ab ista
 calumnia vindicare essent conati, &
 ausi regem monere, ne perseveraret se-
 uire in pios, & eos, qui obedire vellent
 Euāgelio: alioqui fore, vt illa persecu-
 tione atq; effusione iusti & innocētis
 sanguinis irā Dei in se & regnū suū at-
 traheret. Quid enim tū Hēricus, post-
 quam

quā fidelia illa & salutaria cōsilia mul-
 tis ac grauibus rationib. instructa au-
 didit? ita repētē exarsit in consiliorū au-
 ctōres, vt repudiatis sanis cōsilijs, con-
 tēpta Senatus auctōritate, nulla mora
 interposita, omnes prehendi, & de his
 suppliciū sumi iuberet, inter quos eti-
 am fuit Præses Ferrerius. Ego de illo fa-
 ctō loquor. Si fuit hæreticus Ferrerius
 ille, quē paulò pōst tantō opere laudas,
 cur eū ita laudas? sin meritō laudas, nō
 fuit hæretic⁹ Ferrerius. Nec est, cur Hæ-
 rici factū magis in ceteros, q̄ in hūc de-
 fendi potuerit, cū oēs de causā religio-
 nis idē sensissent. Quid est aut̄ illud, q̄
 subijcis de iudicio oīm ordinū illius
 tēporis? animaduersi, inquis, quicūq;
 sunt eo tēpore (nouo & impudēti mē-
 dacio nouitas locutionis conuenie-
 bat) iudicio Senatus & omnium ordi-
 nū, qui de literis iudicare poterāt, hæ-
 retici esse censebantur. Ergo de literis
 iudicare nihil poterat Ferrerius ille, iu-
 dicio tamen tuo incōparabilis. nō po-
 terat Anna Burgius, nō poterāt illi p̄-
 stātes & excellentes viri, q̄ vnā tū tēpo-
 ris sentētiā in Senatu fortiter dixerāt.

Sed quid illos dico, & ex infinito numero commemoro paucissimos? Inuertamus potius orationem, tum sic verè dixerimus, omnium ordinum atque hominum iudicio, qui quidem de literis iudicare aliquid poterant, eam religionem, quàm nostri profitebantur, veram & puram religionē habitam fuisse: qui secus iudicarent, omnium consensu fuisse imperitissimos. Nam quibus aliud videbatur, nisi Sorbonæ, quæ tunc fuit veluti stabulum omnis barbariæ & imperitiæ? Scimus enim, vt barbari illi homines hæreticorum numero omnes haberent, quos viderent in melioribus literis cognoscendis esse occupatos, qui linguam Hebraicam & Græcam non secus ac pestem fugiendas esse docebant, quibus verbi Dei lectio hæreticos faciebat. & ob eam causam & libros sacros in linguam vernaculam verti prohibebant, & ab eorum lectione mulieres & plebeios procul arcebant. Si nostri sub Henrico omnium ordinum, qui de literis iudicare poterant, iudicio hæretici habiti sunt: quid tu de literis tum iudi-

iudicabas? neq; enim iudicio tuo ha-
 bebantur hæretici. ac ne nunc quidē
 habentur, et si tu mancipatus (neq; e-
 nim abs te moniti in posterum cōdu-
 ctionis verbo in hac re vtemur) tu, in-
 quam, venditus, vt mendacio seruias,
 & populo Dei maledicas, componis
 te verbis, quantum potes, atque omni
 habitu, vt aliud præ te feras. Existimas
 enim ignorare nos, qualis tu Tolosæ
 fueris, qualis haberi volueris? qualis
 fueris in ea familia, quam nosti, & quā
 multos (nescimus, an omnes) ex ad-
 lescentia tibi illic commissā in vera re-
 ligione instituendos curaris? Sed quo-
 niam nūquam religio tibi aliud fuit,
 quàm larua & persona, qua ad tuum
 commodum vterere: ideò & homines
 tum fallebas simulatione veræ pieta-
 tis, quia simulare tibi lucrosū puta-
 bas. nunc postquam hæc persona tibi
 periculosa & aduersaria tuis commo-
 dis visa est, iam hanc non tam mutas,
 quàm excutis, & ita abs te reijcis, vt
 plura aduersus veram religionem di-
 cas & facias, quàm quisquam eorum,
 qui se veræ religionis iuratos hostes

semper haberi voluerunt. Ex quo genere est illud, quod cum nostros, omnibus hæreticis consentientes posuisses, subijcis de Henrico, hunc scilicet optimum maximumq; principem non esse passum se traduci nostris opinionibus, affixum hæsisse pietati priscæ, & in familia sua regnoq; suo insitæ inolitæq;, atq; hac pietate complexum esse religionem suam, quam non possumus negare fuisse Christianam: atq; adeo non dissimilem nostram, si abesset à nobis pernicacia. Quod de opinionibus nostris dicis, iam antè respondi, Euangelium quod profitemur, æternam Dei veritatem esse, quo fit, ut non sit positum in hominum commentis aut opinionibus. Quod dicis Henricum hæsisse pietati priscæ, & agnoscimus pietatem, si pietatem dicis idolorum cultum, abnegationem sacrificij Christi in Missa, & in summa, illa portentosa doctrinæ, illasq; contumelias in filiū Dei & verbum eius, ex quibus constructus est Papatus. Absit vero à nobis, ut hanc fateamur fuisse aut esse religionem Christianam, quæ manifestè Christum oppugnat, cuius caput est filius

filius ille perditionis, q̄ se extollit ad-
 uersus id omne, q̄ dicitur Deus, & id
 quod adoratur, vsq; cò, vt sedeat tanq̄
 Deus in templo Dei, ostentās se, quasi
 ipse sit Deus. Quòd aut̄ addidisti, Hen-
 rici religionē non esse dissimilem no-
 stra, neq; nos inficiaturos fuisse, si ab-
 esset peruicacia, & qui malus nos trās-
 uersos agit genius, mensq; mala: vide-
 fis, quomodo in eo te expedias, & mē-
 tis sanitatem nobis probes. Statue e-
 nim iam tandem aliquid certi apud
 te, & dic qualem velis esse religionem
 nostram, prauā an veram. Pravam di-
 ces? & quidem prius hæreticorum re-
 ligionem esse dicebas, & apertè pra-
 uam de religione opinionem appella-
 sti. Nihil igitur verum eorum, quæ tu
 hoc ipso loco de Henrico scripsisti. Er-
 rat enim huius religio, te auctore, no-
 strę nō dissimilis: nostra verò nihil nisi
 opinio & ea quidē praua atq; hæreti-
 corū, qua nihil potest esse verę & Chri-
 stianę religioni magis cōtrariū. Sequē-
 batur ergo Hēric⁹ prauā de religiōe o-
 pinionē. traducebatur Hēricus nostris
 opiniōib. nō habebat pietati priscę & Chri-

Christianæ. quæ tu tamen omnia con-
 trà modò de illo affirmabas. Rursum
 mutata sententia vis nostram esse ve-
 ram religionē & priscam? & verò nunc
 ita esse vis, cum illam esse statuas non
 dissimilem religioni Henrici, hanc au-
 tem esse dicas pietatem priscam, & re-
 ligionem Christianā. Ergo tua ipsius
 sententia à calumnijs omnibus supe-
 rioribus tuis absolvamur, necesse est
 ut iam non magis in hac tam manife-
 sta repugnantia vnus loci tu in sanus,
 quàm in singulis eius partibus te ipso
 iudice mendax & improbus fuisse de-
 prehendere. Nostra est religio priscæ
 illi & Christianæ Henrici religioni nō
 dissimilis. Non est igitur praua de reli-
 gione opinio. nos ergo non hæretici
 qui illam sequimur, non magis quàm
 Henricus. quæ tu tamen crimina no-
 bis prius multis verbis impingebas.
 Nec quidquam mutat, quod nos no-
 stram religionē similem illi negemus
 peruicaces. non enim eò minus talis
 est, etiamsi millies negauerimus. Et tu
 si sanus esses, ista tam absona, tam pu-
 gnantia inter se, & auctore ipsum tam
 aper-

apertè refutantia eodem in loco scri-
 pſiſſes: fieri nō potuit. Non enim obi-
 ter hoc poſuiſti, religionem Henrici
 noſtræ eſſe non diſſimilem, vt quis pu-
 tet hic quidquam tibi temerè excidiſ-
 ſe, vt ſolet feſtinantibus nec antè me-
 ditatiſ: ſed vt ſeriò & cogitatò abs te
 dictum omnes intelligerent, magno
 conatu huius rei confeſſionem à me
 extorquere conatus es, vt qui ſcripſe-
 riſ, niſi id fateamur, peruiçaces nos eſ-
 ſe, ac verè dici nos à malo genio & ma-
 la mente agi tranſuerſos. Sed ita eue-
 nire oportuit, vt qui veram religionē
 oppugnare inſtitueras, ſic eam impe-
 teres, vt tela tua in te ipſum conuerte-
 rētur. Quòd deinceps Henricum pur-
 gas, quòd in hiſ, quos hæreticos puta-
 bat, puniendis non explorauerit dili-
 gentius momenta & merita cauſarū:
 quia quòd alia non expenderit, quàm
 quæ ſolita erant obſeruari, in eo pa-
 ruērūt publicis legibus: purgatio ad
 Mercurialem illam inquiſitionem, de
 qua ſcripſit Zacharias, non pertinet.
 Conſtat enim Henricum contempta
 Senatus auctoritate, pro imperio eos
 prehen-

prehēdi iussisse, quibus leges liberam
sententiæ in Senatu dicendæ potesta-
tem dabant, & cū prehensio & cog-
nitio in Senatores solius Senatus effe-
retur ex legibus, ipsum hanc potestatem con-
tra leges Senatui ademisse.

Iam ad Carolum nonum accedis-
cuius clementiã tu cum Monlucio no-
bis cōmmēdas specioso illo & ad frau-
dem composito edicto, ne in eos, qui
religionis reformatæ vulgò esse dice-
bantur, religionis causa animadverte-
retur. An hic quidquam tibi respon-
deri potuit verius, quàm quod fecit
Zacharias, euentū declarasse, quid illa
specie fucata, atq; illis tendiculis que-
sitū sit, cū omnia edicto cōtraria om-
nibus in locis aduersus pios impunè
secuta sint? Tu negas esse secuta. quid
enim aliud faceres, cui à veritate defi-
tuto reliquū fuit, vt tibi in impudētia
& fronte omne præsidium defensionis
collocares? Et si aut negas, quæ sunt o-
mnibus, qui tum vixerūt, publicè no-
tissima: tamen quia negas, nō petā vt
mihi potius credatur, q̄ tibi, neq; vt fi-
at, æquū est. Sed testimoniū aduersus
te di-

re dicēt historiae omnes illius tēporis,
 & te nō solūm aperti mendacij, sed e-
 tiam extremæ impudentiæ cōuincēt,
 quē nō puduerit affirmare & manda-
 re literis, non plures quàm duos aut
 tres ex nostris antè, q̄ vlla mouerētur
 arma, interfectos esse à vobis. Neq; ti-
 bi statim occurrit notissimum illud
 scelus patratum Vassiaci à Guisjs. Sed
 benè habet, quòd postea ex omnibus
 lanienis, quæ impunè deinde admissæ
 sunt in nostros istius regis tēporibus,
 quatuor agnouisti, Cadurcorū, Aure-
 lianorū, Rothomagensium, Turonū.
 Ergo saltē his exēplis euentus ille p̄ba-
 tus est, quem dixit Zacharias, & quem
 prius impudenter negaueras. Tu ta-
 mē illas maclationes illarum vrbiū
 ingeniosè excusas, nec minus artifici-
 osè in his factum & æquitatē regis de-
 fendis. Populi furores fuerunt, inquis,
 impatientis licētiae & audaciæ, simul-
 ac impunitatis nostræ, quæ in illis vr-
 bibus acciderunt. Quænam ergo ista
 licentia nostrorum, quæ audacia fu-
 it? Vbi aut quando auditum est no-
 stros in vrbe aliqua impetum fecisse,
 aut

aut seditionem mouisse in alios? Et
 quibus rebus aut quorum opibus fre-
 ti id fecissent miseri homines omnib'
 non solum armis & alijs subsidijs rei
 perficiendæ, sed etiam facultatibus &
 adiuuentis domesticis priuati præse-
 ãorum iniuria, pauci aduersus innu-
 meram aliorum multitudinẽ, in quos
 si impetus fieret, scirent se non magis
 pares esse posse, quàm possunt pauce
 oues aduersus agmen luporum? No-
 stri in pace licentiosè & insolenter ad-
 uersus alios se gererent, quibus in pa-
 tientia & tolerantia aduersus Papista-
 rum iniurias & contumelias vnicum
 erat præsidium? Atque etiam, si Deo
 placet, impunitatem nostris in male-
 factis obijcere non erubuisti. Scilicet
 illi tempore pacis aliquid auderẽt in
 alios in ijs vrbibus, in quibus Papistæ
 dominabantur, idque impunè face-
 rent aduersus eos, qui ad omnes no-
 stros inuadendi, & in illos sæuiendi oc-
 casiones erant erecti: vsque adeò, vt cū
 nullas iustas ad id aggrediendum cau-
 sas habere possent, tandem quasi libet
 fingere maluerint, quàm de eo ani-
 mo

mo quidquam remittere. Nostri impune prædabantur, occidebant, quibus per consilium regis, per magistratus urbium, per præfectos regionum vitam ducere miserè licebat. Quid autem rex iste bonus, quomodo lanicinas istas & nefaria scelera vindicavit? Dic tu, bone & vere defensor. Vindicta sunt, inquis, maximis gravissimisque poenis. quibus? nempe quia in Ambianos missus est Cossæus, in Rothomagenses Mommorancius, in Turones Præses Ferrerius. Hæ sunt nimirum illæ gravissimæ & maximæ poenæ, quod isti missi sunt, nihil præterea, nisi quod ad speciem singularis alicuius exempli tentatum nescio quid initio videtur Rothomagi: sed tamen præclara illa cœpta in fumum evanuerunt. Ac præstitisset multo neminem omnino in eas urbes missum esse ad salutem fidelium. Missis enim præfectis illis, & tamè impunitate animadversa, aduersariorum crudelitas & insolentia vehementer est confirmata. Habes edictum illud salutare regis Caroli IX. habes clementiam, quam tu nobis optimè demon-

H

strasti;

strasti. Sed quoniam crudelium istorum
 parricidarum immania facta vetat re-
 rum cōditio rectè defendi: age, cōmi-
 niscere iam aliquid in pnciosas istas
 oues, quo illarum sãuitiam aduersus
 lupos nobis probes. Nempe hoc relin-
 quebatur, vt miseris & innocentibus
 objeeres, non nisi exemplis nostris e-
 doctos Catholicos euasisse crudeles,
 & nobis reposuisse paria. Bene fecisti,
 q̄ ad probationē istius accusationis
 nihil addideris. Nã omnes qui bonos
 illos & mites Catholicos, eorumq̄; fa-
 cta norunt, itemq̄; licentiosos istos &
 efferatos Hugonotos, facilè tibi iniu-
 rato fidem habebunt, vtpote viro bo-
 no & vero, ac nō tantū credibilia, sed
 etiã publicè omnib. cōperta narranti.
 Et periculū erat, ne, si longiorem hu-
 ius rei probationē institueres, de bo-
 na causa malè sentire viderere, vt quæ
 non indigeat probatione.

Age ergo, transeamus, vt vis, ad hu-
 ius regis fidem. Dixerant aduersarij
 Monlucij, ter illum violasse pacem.
 Hoc nihil verius. Violarat enim & eã,
 quæ primos tumultus secuta erat, &
 quæ

quæ secundos, & quæ tertios. Contie-
 nit, vt video, de ijs, quæ duos postero
 res secutæ sunt. Nam neque tu, neque
 Molucius factum ita negauistis: non
 prætermiffuri habet partes non magis quã
 tertiam, si in his aliquid haberetis, in
 quo licuiffet vobis aduersus accusa-
 tores consistere. Sed ad eò hic perfidi-
 a regis & vestra fuit publicè nota, vt
 etiam illud, quod audaciffimè facitis
 in rebus omnibus, in hac vos puderet
 facere, id est, id quod obijciebatur, in-
 ficiari. In priori pace quia res obscuri-
 or est, ideo hic constitit Molucius: hic
 tu: dum ibi tanquã arcem accusatio-
 nis te habere putas, quã scilicet Euange-
 lici visi sunt prius in armis apparuisse.
 Sed ne hoc quidem quicquam verius,
 quàm hic quoq; pacẽ à rege esse viola-
 tã, & huius perfidiã sequentib⁹ tumul-
 tibus causam dedisse. Quod cũ tot hi-
 storij, & tot publicis defensionib. no-
 strorũ tã clarè testatũ esset, neq; ad cau-
 sam de eadẽ vestra postrema quicquã p-
 tineret: attigit Zacharias breui⁹, quã ple-
 niori cõfirmationi cõueniebat: cõten-
 tus ea signa ponere, ex quib. regis aũs

de bello & de nostris opprimendis ho-
 mini non prorsus stupido non diffi-
 le posset perspicere. Et si autem in his sa-
 tis erat argumenti, regem antea de bel-
 lo aut de perdendis nostris cogitasse,
 id de quo solo agebatur (hoc enim
 Mōlucius in sua defensione negabat)
 tamen quoniam res certas & euidētes
 requiris, dū putas artes vestras apud
 imperitos hucusque præclarè latuisse,
 nec facilè detegi posse : dicā apertius,
 paucis tamen, id quod res est. Aio in
 conuentu illo Baionæ inter Carolum
 & Hispaniæ regem per vxorem Caroli
 sororem & ducem Albanum habitum,
 Carolum regem, reginam matrem, &
 Guisios cum Albano consilium cepisse
 de ijs qui reformatam religionē se-
 quebantur, penitus atq; vno tempo-
 re tota Gallia delendis : non bello, q̄
 & periculosè gereretur, & exhauriret
 vires regni: sed ita, vt fraude captis du-
 cibus & interfectis, tum deinde reli-
 qui nihil tale cogitantes opprimeren-
 tur, interficerenturq; omnes ad vnū,
 in singulis vrbibus cōdicto ad eādem
 certo & statō tempore, quod & con-
 uen-

uentione inter eos religiosè sancitum
 est: cuius & conuentionis non semel
 appellatus sit rex à duce Albano. De
 eo cū multis & literis & nuncijs ami-
 corum nostri certò cognouissent, pla-
 cuit principibus uiris ad regem, qui re-
 uersus ab illo conuentu tum Molen-
 dini erat, mitti aliquem ex præcipua
 nobilitate, qui totius nobilitatis no-
 mine regi exponeret, cognouisse se,
 quæ consilia Baionæ capta essent. pe-
 teret suppliciter à rege, ne in animum
 induceret pacem benè constitutā in-
 fringere propter paucorum consilia
 pacis & trāquillitatis publicæ hostiū,
 & nominatim Cardinalis Lotaringi.
 quòd si pergere uellet, significaret nō
 deesse adhuc vires, quibus publicas &
 sanctas leges, & salutem regni aduer-
 sus pturbatores istos pacis tueri pos-
 sent. Delectus est ad eam rem Bocar-
 dus vnus ex præcipuis nobilibus, qui
 tum erant cum principe Condæo, nō
 magis nobilitate quàm præstanti do-
 ctrina conspicuus, qui & Molendinū
 venit, & ibi legationem suam fortiter
 obiit apud regem. extatq; eius oratio

Gallicè scripta, quã & ipse sua manu regi exhibuit, ne quid hic à me confitum dicas. Sed nihilominus decretum & pactum Baionense vrgebant, quantum poterant, cõiurati & conscij meditate cædis. in primis Guisij. Nam sub idem tempus quo rex Molendini subsistebat, & Bocardus legatione fungebatur: Cardinalis Lotaringus Luteciã contendit, vt illic initium cædis faceret, & simul signum tolleret ceteris vrbebus, in quib. delecti homines ad carcerem constituti erãt, quo signo admonita idem exemplũ statuerent singulæ in nostros. Et vt conspirationẽ meditantã & certam perspicere liceret, venit eò comitatus multis armatis, & ipse præter solitũ armatus. cumq; ei ita vrbi appropinquant denunciatũ esset à præfecto Mommorancio, ne veniret ad urbẽ armatus, alioqui se aduersus edicta regis, & in pace arma nõ passurũ: nihil tamen remisit de incepto, certò sibi persuadens, propter eam factiõnem atq; ea arma, quæ in vrbe instruxerat, fore, vt sibi tutò ingredi, & quæ vellet, ingresso perficere liceret.

itaq;

itaq; armatus ingressus est. Quòd nō
 nostri præcauissent, & vigilantia præ-
 fecti obstitisset, iam tum actum esset
 de nostris in tota Gallia. ex quo exarse-
 rūt illa odia, quæ nūc aduersus Mom-
 moranciū & totam illam domū esse
 videmus. Sed & vt intelligatur etiam
 alijs in locis eadem consilia esse agita-
 ta, omniaq; fuisse instructa ac dispo-
 sita ad eandem cædem: fuit eodem tem-
 pore apud Senones Cardinalis Puluę-
 ns, Guisij addictissimus, dimissus eò,
 vt per idem tempus, quo Cardinalis
 Lotaringus Lutetiæ, cædem confice-
 ret. apud Senones & in tota Cāpania.
 qui quoniã non dubitabat, qn omnia
 Cardinali Lotarigo euenirēt, vt con-
 stituerat, ea fiducia fretus impatiens
 lōgioris moræ, quo die cōiiciebat idē
 Cardinalem Lutetię facturū, cœpit &
 ipse summittere sicarios in domos E-
 uangelicorū, qui initiū cædis facerēt.
 sed cū statim nunciū accepisset, nō p-
 cessisse rē Cardinali, cohibuit impetū
 sicariorum, & quasi cædes à plebe in-
 iurijs nostrorum irritata facta esset i-
 pso inscio, ita discessum est, non pau-
 cis

eis tamē pijs eo impetu interemptis.
 Hæc atque alia multa tam certa illius
 consilij & cogitatæ internecionis ar-
 gumenta nostros penitus confirma-
 runt, vt non dubitarent rem ita se ha-
 bere, vt de illo consilio atque animo
 regis & coniuratorum acceperant. Ad
 hanc certitudinem confirmandā ac-
 cedebant ea, quæ ante acciderant. re-
 petebant enim memoria illam trium-
 annorum toto regno circumcursatio-
 nem paci non conuenientem: in sin-
 gulis vrbibus, vbi verbum Dei ex con-
 ditionibus pacis annunciare licebat,
 voluntariam moram ad exercitiū re-
 ligionis inde obliqua viâ exturbandū
 instructam, cum ita esset in conditio-
 nib⁹ pacis, ne religio reformata in au-
 la regis & aliquot circum spatia audi-
 retur. arces & præsidia in primarijs vr-
 bibus excitata. potestatem religionis
 exercendæ conditionibus pacis con-
 stitutam, varijs deinde restrictionibus
 & varijs edictis imminutam. nusquā
 nostris ius reddi de iniurijs passim ab
 aduersarijs illatis. nostros à munerib⁹
 & honoribus publicis arceri. suis etiā
 &

& veteribus deturbari. nostris deniq;
 omnia vbiq; hostilia ostendi. quæ nō
 dubium est, quin ad eandem cogita-
 tionem iam tum referrentur: omnia
 non tantum alienati, sed etiam pessi-
 mē in nostros affecti animi indicia.
 Inde factum est, vt post illud factū Car-
 dinalis Lotaringi, & Cardinalis Pul-
 uai, à principe Condæo & ijs ducib^o,
 qui religionis causam secuti erāt, de-
 nunciaretur nostris in singulis vrbi-
 bus, vt sibi cauerent à Papistis, seque
 quàm maximè fieri posset, aduersus
 eorum vim præmunirent, vt si quid il-
 li postea tale moliri vellent, quale pau-
 lō antè auditum esset tētari Lutetiæ,
 & apud Senones, haberēt nostri, quo
 se aduersus eos tutari possent. atq; ex
 illo disturbatis aliquomodo aduersa-
 riorum cōsilijs, ad aliquot menses eor-
 um impetus cōquieuit. Illi verò, qui
 nullam occasionem prætermittēt,
 qua possent, quod Baionæ constitutū
 erat, ad exitum perducere, & reputa-
 rent sibi ad id perficiendū maioribus
 viribus opus esse, quàm hactenus vsi
 essent, quas tamē dissimulanter opor-
 teret

teret cogi, ne fraus nostris suboleret:
 tandem se ad id faciendum summam
 opportunitatē reperisse crediderunt.
 Cū enim audiretur ducem Albanū
 per Pedemontanos primū, deinde
 per Sabaudiam & Burgundiæ Comi-
 tatum ducere copias in Belgium: hac
 occasione vsi rex, regina mater, & Car-
 dinalis, perfecerunt etiam nostris con-
 sistentibus, vt euocarentur sex mil-
 lia Heluetiorum, qui dum dux Alba-
 nus pcederet, fines regni aduersus in-
 cidentia ab Hispanis militibus pericu-
 la suo p̄sidio tenerent. Quorum ad-
 uentus cum opera aduersariorum cō-
 sultō in longius tempus protractus e-
 set, tandem venerunt in Galliam, vix-
 que bene Burgundiæ Ducatum sunt
 ingressi, cū iam dux Albanus cum
 exercitu in Belgium venisset. itaq; cau-
 sa euocandi eos finita, cōueniebat vt
 iuberentur illi redire domum. & factū
 esset, vt in similibus omnibus casibus
 fieri cōsuevit: siquidem illa euocatio
 sincerè & ex fide bona esset instituta.
 Sed nihilominus ducuntur longius, &
 rectā Lutetiā contendunt: cumq; fre-
 quen-

quentibus precibus obnūciarent no-
 stri, ostenderēt q̄; reginae matri rem nō
 conuenire paci: nihil his viribus & ex-
 traordinarijs auxilijs regi in pace op^o
 esse: manifestum esse quo hęc euoca-
 tio spectaret: tandē ambiguis & blan-
 dis responsis eō vsq; producti sunt, do-
 nec illa sex Heluetiorū millia non lon-
 gius decē miliaribus Gallicis Lutetia
 abesse animaduernerūt. Quo ad signi-
 ficationem belli cogitati, & armorum
 iam iam inferendorū nihil potuit fie-
 ri certius. Sed accesserat ad hęc omnia
 conuentus recens per ea tempora ha-
 bitus Marchesij, quę arx est Cardinalis
 Lotaringi, qui & ipse ei cōuentui præ-
 fuit. Ibi supremū consilium captū est
 de principe Condæo & Admiralio in
 syluā Vincenniā arcem regis vno ferē
 miliari Lutetia distantē euocandis, &
 si opus esset, venire cogēdis. quām ad
 rem auxilijs præsentib⁹ Heluetiorum
 vti constituerāt. Hoc consiliū nostros
 non fugiebat, non magis quām supe-
 rius illud Baionense. Quare in has
 angustias redacti, cū iam de consi-
 lio regis & aduersariorum dubitare
 non

non possent, quod habuerunt extre-
 mum subsidium, ad id confugerunt,
 vt aduersus imminēs periculum se ar-
 marent. Interim tamen ita arma sum-
 pserunt, vt cuperent etiam in eo om-
 nibus modis regi satisfacere, quam ob
 causam ad regem quæsiuerunt aditū
 causam suam acturi apud eum aduer-
 sus hostes pacis, & postulationes suas
 exposituri. Armati, inquit, ad regē?
 sanè verò armati, postquam rebus ad-
 uersus illos ita instructis à rege & ab
 aduersarijs, vt suprà dixi, aliter sine cer-
 to & præsentī periculo accedere, & se
 tueri non poterāt. Quòd si roges, cur
 id die Michaëli sacro factum sit, in cau-
 sa fuit nō consilium & præmeditatio,
 sed quia necessitas præsentī periculo
 occurrendi in eum diem incidit. ade-
 rat enim is dies: res autem nō ferebat
 moram, sed iam eò ventū erat, vt nisi
 statim nostri occurrerēt, amplius vim
 atq; arma aduersaria à capitibus suis
 depellere non possent. Habes rem vtī
 gesta est, quando ita voluisti. Et quif-
 quam cū ita se res habeant, dubita-
 re potest, hic pacem à rege perfidiosē,
 &

& sepius eandem esse violatam, eiusque
 perfidia etiam secundos tumultus in
 regnum inuectos, qui nostris ut arma
 tandem caperent, plus quam extremam
 vim attulerit? Cur ergo hæc non dixit
 Zacharias in defensione aduersus Mo-
 lucium? quia, ut dixi, ad eadem Caroli
 & vestram properabat, de qua præci-
 pue agebatur, & ad id conuincendum
 quod Monlucius negauerat regem de
 bello cogitasse, sufficebat ea facta po-
 tuisse, de quibus inter omnes consta-
 ret, quæ sola abundè contrarium ani-
 mum & cogitationem declarabant.
 Is enim est hostis, à quo sunt hostilia
 omnia cum publicè tum priuatim. is
 bellum in regno cogitat, qui nullis ex-
 ternis bellis occupatus, ac ne metuens
 quidem, militem externum colligit,
 & ad animum celandum eas causas ob-
 tendit, quas apparet esse inanes, & er-
 roris tantum obijciendi causa tanquam
 latebram esse quasitas. Hæc omnia cer-
 nuntur in factis huius regis, quæ pau-
 cis collegit Zacharias. Ex quo intelli-
 gitur meritò quasisse Zachariam ex
 Monlucio, si ex his non colligitur re-
 gem

gem hostili animo fuisse aduersus E-
 uangelicos, & de illis opprimendis co-
 gitasse, quid ergo sibi velint illa quæ
 collegit, & quónam ea spectarint. Sed
 tu expedis, & artificiosè de ijs ita disse-
 ris, vt doceas, ex singulis illis factis ni-
 hil tale colligi posse, quale voluit Za-
 charias. Atqui Zacharias ex singulis
 id colligi nō dixit, sed ex omnibus in-
 ter se coniunctis. Etsi autem ex his,
 quæ narraui antea, videor satis de hac
 parte tibi respondisse: tamen, quia in
 singulis argumentis magno artificio
 refellēdis immoraris, nihil vetat, quò-
 minus in his artificio tuum audia-
 mus. Et argumentum de circumcur-
 satione illa per regnū ita diluis. Rex,
 inquis, integrum triennium armatus
 consumpsit in peragrandō regno, ne-
 mini nostrū nocuit, pacē vbiq; fun-
 dauit & cōstabiliuit. proinde nullum
 parabat nobis inferre bellum. Si qui-
 dem vera sumeres, non negem verum
 esse, quod concludis. rectè enim colli-
 gis. sed quoniam falsa sunt quæ sumis,
 tale esse quod concludis, necesse est.
 Sic igitur inuerte antecedentia: Rex
 totum

totum triennium cum exercitu con-
 sumpsit in peragrando regno, quo tē-
 pore omnibus Euangelicis, quacun-
 que nocendi occasio data est, & publi-
 cè & priuatim nocuit, pacē omnibus
 modis infregit, hostilia omnia aduer-
 sus illos constituit. in maioribus vrbi-
 bus affectata mora per eam occasione
 facultatē exercendæ religionis Euan-
 gelicis contra pacē ademit. Ex his ma-
 gistratus qui erāt, aut apertè iussit ab-
 ire magistratu, aut ita exercuit, vt sua
 sponte se magistratu abdicare coge-
 ret. omnes à muneribus & honoribus
 publicis contra pacis conditiones re-
 mouit. iniuriarum illis illatarum, quæ
 fuerunt tota Gallia innumerabiles,
 nullas querelas admisit. cū ad pacē
 fundandam & constabiliendam per-
 tineret ciuitatibus & ciuibus omni-
 bus sua iura relinquere integra, & si
 qua etiam essent per iniuriam bello-
 rū amissā, his restituere, deniq; omnia
 ad tranquillitatem & securitatem sub-
 ditorum spectantia, diligenter pro-
 uidere: ille contrā arces & præsidia,
 quas Galli & Itali Citadellas vocant,

exci-

excitauit, rem in Gallia nouam & an-
 rea inauditam, in pace autem vt mini-
 mè necessariam: ita ad cogitati alicui-
 us motus præmunitionem tantùm
 utilem: cogitati autem non aduersus
 Papistas, quibus rex nocere nolebat,
 sed aduersus eos, qui quocunq; se ver-
 terent, nihil nisi malè affecti in se ani-
 mi certissima signa cernebant. His ita
 positis, tum sic contrario modo rectè
 concluderis: magnum igitur argumen-
 tum, his rebus atque hac obitione lo-
 corum strui aliquid aduersus Euange-
 licos, quo illi opportunitate data pri-
 opprimantur, quam quid esset, suspi-
 cari potuerint.

De conuentu autem Baionensi &
 coitione cum Hispano, factum sic cla-
 dis, regem Baionam profectum, vt so-
 rorem inuiseret Hispaniæ reginā: ma-
 iorem & frequentiore legationem
 esse ad Catholicum Hispaniæ regem:
 potuisse regē id facere. nam & habuit
 se regem sæpe in Gallia secretiora con-
 silia, regij & quotidiani moris hæc et-
 se, & pia sancta q̄. Tu de hoc factō ita
 disputas, quasi dubitetur, an rex po-
 tuerit

tuerit ire Baionam, ibi sororem inui-
 sere, & cum quibus velit, secretiora cō-
 silia inire, quod illum potuisse nemo
 negat: ac non illud queratur potius,
 quam obrem hęc coitionem suscepe-
 rit, non cum sorore, sed cum Albano.
 primū eo tempore, quo tantos sum-
 ptus fieri ad inanem salutationem &
 pompam minimē conueniebat, quo
 afflictæ ærarij facultates omnem non
 necessariam impensam repudiabant.
 Deinde cum Albano infensissimo &
 publico omnium, qui veram religio-
 nem profitebantur, hoste. nam quid
 illi tum rei in ea legatione esse potuit,
 nisi vt consilia de ijs euertendis & de-
 lendis conferret, & rationem id perfici-
 endi ostenderet, qui primo quoque
 tempore cogitabat in Belgium ad tol-
 lendos eos omnes, qui ibi eandem nō
 biscum religionem profitebantur? Si
 erat animus regi pacem constabilire,
 vt scribis: cōueniebat huic animo nō
 tantū contra pacem non facere, sed
 etiam auertere à se omnem malæ co-
 gitationis suspicionem, & afflictis sub-
 ditis nouum terrorem ex noua & in-

solenti, & minus ad pacem colendam
 & regni administrationem necessaria
 legatione non incutere. Sed nihil hic
 argumentis opus est. satis enim scitū
 est postea, quæ consilia ibi agitata &
 capta sint, vt suprā ostendi. Quid verò
 ad te ista pertinent, inquis, custodem
 suspiciosum & ridiculum rerum alic-
 narum? Quid ad nos pertineāt, rogast
 quibus igitur conueniebat de illa coi-
 tione esse sollicitos, nisi ijs, quorum sa-
 lus in illis consilijs & vita petebatur?
 suspiciosos & ridiculos dicis, qui nisi
 sibi diligentissimè cauerent, funditis
 periissent: omnia autem sinistri animi
 & malorum consiliorū signa circum-
 spiciebant? Hæc qui non obseruat, nō
 metuit, vt fugiat, seq; aduersus ea non
 præmunit, vt licet: eū omnes quibus
 aliquid non tam iudicij quàm mentis
 est, stultum esse pronunciant. De quo
 qui scripserunt mollissimè, dicunt nō
 esse sapientis committere, vt cum ali-
 quid inciderit, quod potuerit caueri,
 dici possit, nō putabam. & præsertim
 cum agitur de vita, vbi cum quid omi-
 seris, bis peccare non licet. Tu autem
 aliter

aliter quàm fert sensus & captus ho-
 minum cōmunis, de rebus etiam vul-
 garibus iudicans, cum qui spectet, cui
 bono quæque agantur, ne noceant,
 quiq; manifesta pericula fugiat, esse di-
 cis eum, non modò qui nō sapiat, sed
 etiam quem furia agitent, quem um-
 bræ, quem quotidiana dimoueat à
 recto statu mentis. Si hæc scribuntur
 non insanis, omnes ex hoc quoque lo-
 co de sanitate mentis tuæ facilè iudi-
 cabunt. quo minus oportet nos con-
 uicijs tam aptis, & tam ex te tibi natis
 commoueri. Quàm verò illa sunt ridi-
 cula, & planè tua, id est prioribus simi-
 lia, quæ subijcis? quid ergo, inquis, re-
 gem vultis nihil agere rerū vobis in-
 scientibus, inconsultisq; nihil curare
 repub. deniq; repub. permitti ar-
 bitrio vestro? otiosi regem, & agere nu-
 gas, vt vobis interim liceat veluti con-
 sopito & consopulo ea vastare & ex-
 cindere, quæcunque reliqua nefarijs
 consilijs vestris impedimentum adfer-
 re possent, ac tandem, quod iam diu
 captatis, dominio potiri rerum? Quia
 scilicet dicimus in cōuentu Baionēsi

consilia regis fuisse de opprimēdis nō
 stris contra pacem, & vbiq̄ue tota Gal
 lia trucidandis: clamas velle nos rem-
 pub. permitti arbitrijs nostris: quasi
 hic queratur quisquam, se adhibitum
 non fuisse illis consilijs, ac non de eo
 agatur, quæ & qualia illa consilia fue-
 rint. Velle nos otuari regem & nugas
 agere: quasi qui cupiat illum seruare
 fidem, à subditis terrorem armorum,
 & suspectorum consiliorum remoue-
 re, subditos in pace constituta æquo
 iure tueri: is iubeat feriari regem, & a-
 gere nugas: aut quasi rempub. curare
 & regere, sit nō curare quid de se sub-
 diti existimēt, fidem nō præstare sub-
 ditis, pacē & iusiurandū violare cum
 libeat. Itāne verò qui optat priora in
 rege esse, & quia in eo sint contraria,
 ideo sibi timet, & periculum non ex-
 pectat, is videtur tibi hoc agere, vt rex
 cōsopitus & cōsepultus iaceat? Quan-
 quam ineptissime rhetor, de eo non
 agitur, qualis rex esse debuerit, aut qd
 debuerit agere rebus adhuc integris,
 sed rebus iam confectis, qualia sint,
 quæ egit, quæritur: vtrum huiusmodi
 vt bel.

vt belli meditati & constituti, non pa-
 cis constabiliendæ indicia haberi de-
 buerint, an nō debuerint. & qui quod
 de his factis res est, id dicit, hūc tu vel-
 le vastare & excindere omnia, hūc re-
 gnum captare colligis? En cōsecutio-
 nes ingeniosi & acuti præscriptoris,
 pro quib² dignissimus es, cui rex ipse,
 si viueret, tibi ageret maximas grati-
 as, ad eō ex ijs quę isti infani Hugono-
 ti dicunt de cōuentu Baionensi, tam
 veras & necessarias consequentias ex-
 cudisti. Et ideo magna omnino fuit
 causa & euidens, cur cū tam benè
 collegisses ex eorum defensione, velle
 eos regem nihil agere, rempub. nihil
 curare, eius administrationē permitti
 arbitrio suo, velle dominio rerum po-
 tiri: tandem in optimas illas & ex me-
 dia arte depromptas voces aduersus
 illos erumperes, hæc mens vobis? hæc
 fides? hæc actionum vestrarum finis?
 hæc religio? ô conclamata & profliga-
 tissima ingenia. Nihil dici potuit me-
 lius aut artificiosius, aut denique ora-
 toriū magis. quia scilicet consequen-
 tia illa tua tam benè confirmaueras,

& tibi ex dictis miseri istius Zachariæ
 tam certò efficiebantur. Sed quòd om-
 nem stultitiam & ineptias superat,
 quasi tu hic in præsentì periculo ver-
 reris propter ea quæ Zacharias vno
 anno iam antè scripserat, & is, què tu
 absentem non pluris cassâ nuce æsti-
 mas, vt postea scribis: ita nobis preca-
 tionem ad Deum hoc loco informa-
 sti, vt te propitiùs hic seruaret. credo,
 quia audieras aliquando in præceptis
 rhetorum, facere ad odium creandû
 aduersarijs, & commouèdos animos
 auditorum, si quis perturbatorum &
 iniustè laborantium, atq; eorum qui
 digni sunt auxilio, orationem imita-
 retur. Audiamus autem festiuam pre-
 cationem hominis mirificè catholi-
 ci. Deus bone, serua, parce, vigila. mul-
 tæ sunt insidiæ nobis. Lupos istos, &
 truculentas bestias cum audias, dicas
 oues esse, quæ sibi à lupis metuant. At
 vos immanitate plus quàm barbari-
 ca, perfidia inaudita, sacrilegio exe-
 crando ad quadraginta hominû mil-
 lia innocentissimorum vnius religio-
 nis nomine intra quindecim dierum
 spacium

spacium tota Gallia interemistis. Hoc
 facinus quorum esse dicemus? fateor
 grauitatem & nouitatem tanti scele-
 ris omnem mihi idoneam appellatio-
 nem ademisse. sed tamen quicquid id
 est, eorum certè est, qui insidiantur vt
 feræ alijs, easq; vt prædas rapiunt. quid
 est igitur, quòd insidias metuis? Mul-
 tæ sunt insidiæ vobis. à quibus, sacrile-
 ge? ab ouibus? at qui ne hæ quidem su-
 persunt. omnes enim sustulistis. erat
 reliquiarum aliquid. quod reliquum
 est, etiam nūc haurire vultis. Et tu, im-
 pie, ita Deo illudis, & illum talem pu-
 ras, vt te & vos omnes non norit, ac ne
 illud quidē sciat, quod omnes homi-
 nes sciunt, à quibus fuerint omnibus
 temporibus, & sint etiā nunc insidiæ?
 Deus non irridetur. Circumuenimur,
 inquis, perimus, nisi subueneris. Nem-
 pe quia ingentes exercitus vos circū-
 stant eorum, quos sustulistis, aut qui
 miseri restāt ex illa laniena vestra par-
 tim profugi, partim qui inter vos ver-
 santes horrifico terrore vestro exani-
 mati vix cœlum aspicere audent. hi
 nimirum vobis imminet, & ita im-
 minent,

minent, vt iam actum sit de vobis, nisi Deus subuenerit. Ineptissime & stolidissime hominum, ita Deum compellas, quasi tibi apud pueros aut fatuos aliquos res esset, qui non ex rebus notissimis de oratione tua, sed ex oratione de rebus iudicaturi essent. neque vides in re tam manifesta te cum ista precatatione tam rhetorica à pueris etiam publicè irrideri: tantum abest, vt ad Deum verum iudicem, & qui falli non potest, cum ista oratione accedere debueris. Hic etiam theologum agere voluisti, & de dæmonis inimicitijs arcanum quiddam nobis aperire. & verò valde iucundum est, te hominem videlicet in verbo Dei ita versatum de rebus sacris dicentem audire. Cognoscimus, inquis, beneficio tuo, Deus, dæmonē inimicitias suas in nos exercere per hos. quod nisi cognosceremus per istos eas exerceri, non videremur cum dæmone conflictari. ipse etiam nobis mitis videretur erga nos, & satis suavis præ istis hominibus. Ergo cognoscitis dæmonē inimicitias suas in vos exercere. Mirum dicis Satanam

tanam mendacij patrem & homicidā
 iam à principio, qui mendacijs & cæ-
 dibus delectatur, inimicos sibi habere
 mendaciorum architectos & homici-
 das. Tota oratio tua vitæ non dissimi-
 lis confuta ex perpetuis mendacijs,
 qualis sit integritas tua & fides, testa-
 tur. Ipsa defensio tua pro cæde illa in-
 fanda aduersus populum Dei & verā
 religionem suscepta de homicidijs ve-
 stris clamat, vos esse homicidas nefar-
 ios: te autē omnium sceleratissimū,
 qui vt alij vt in suo scelere sibi placeāt,
 nec ad pœnitentiam adducantur, im-
 pia oratione tua pficere conaris. Vos
 idolorum cultores, verbi Dei infensū
 & iurati hostes, qui vt Christū & Euan-
 gelium exturbaretis tota Gallia, nul-
 lis adhuc pepercistis laboribus, nullis
 fideiū cædibus satiari potuistis: vos,
 inquam, diabolus haberetis hostem,
 diabolus aduersus vos exerceret ini-
 micitas, & non amaret suos? Mundus
 diligit suos, inquit Christus Ioan. 15.
 ita & Satan suos. Non exercet aduer-
 sus eos inimicitias. Est enim ille fortis
 armatus, de quo idem Christus ait,

cùm fortis armatus possidet atrium suum, omnia in pace & tuto esse, quæ possidet. Sed exerceat sanè Satan aduersus vos inimicitias, vt est re vera totius generis humani hostis, si vita æterna, non præsens spectetur. qua nota cognoscis Satanã istas inimicitias per nos exercere? Quid enim attulisti antea, quo id probares, nisi conuicia non ducta à defensione Zachariæ, sed ita aliena, vt cum tuis illis consecutionibus te omnibus mortalibus irridendum propinaris? Nisi fortè à dæmone esse existimas eas inimicitias, quibus nos profitemur prosequi, & detestari furores immanes vestros, perfidiam, prædationes, cædes, lanienas, parricidia vestra. Sed hoc odium atque hæc detestatio piorum est & seruorũ Dei. his autem non vititur Satan administris. quos solos ille infestos hostes habet. Atq; in hos etiam nihil habet iuris. Venit princeps mundi huius, inquit Christus, & in me non habet quodquam. ac quod in se perfecit, perfecit etiam in suis: vnde & illos ideo confidere iubet, quia ipse deuicerit mundum.

dum. Quod si aduersus vos exercet Sa-
 tan inimicitias, & exercet per nos: ta-
 men quid est, quod dicis, nisi cogno-
 fceretis dēmonem in vos exercere per
 nos inimicitias, futurum fuisse: vt nō
 videremini cum dāmonē conflictari?
 Magnum ergo & singulare Dei donū
 dicis, qui hoc modo tam infestum &
 perniciosum hostem cauere, & cum
 eo configere per nos doceamini, vt
 valde sit ridicula petitio tua, qui peras
 à Deo, vt vos à talibus hominibus libe-
 ret, tantūm ideo, quia per nos magnū
 beneficium cōsequimini. Nam quod
 scribis prae nobis dāmonē ipsum mi-
 tem vobis videri, & satis suauem: mihi
 dubium non est, quin imprudens ve-
 rissimè scripseris. Vos enim tam boni
 patris filij, qui desideria eius tam reli-
 giosè adimpletis, quomodo non mi-
 tem & suauem patrem experiremini,
 cum quo in hoc mūdo licere videtur
 filijs huius saeculi iucundè & suauiter
 viuere? quibus autem Euangelium est
 odor mortis ad mortem, vt loquitur
 Scriptura, his certū est, nullos esse gra-
 uiores & intolerabiliore hostes, quā
 qui

qui ex verbo Dei diabolo & mundo, atque omni impietati bellum indixerunt. Non puduit te etiam hic ad extremum orationem filiorum Dei imitari, & petere ut agnus dilectissimus, qui occisus est pro vobis, tandem vincat, & palam triumphet. quasi quidquam ad vos pertineat agnus ille immaculatus, cum quo tam obstinatè & tam cruentum bellum tot annos geritis. quem dum tota Gallia eijciatis, non recusetis quæuis discrimina adire, atque adeò si sit opus, terram miscere incendio. Habemus optimam precationem tuam, dignam omnino quæ ad affectus mouendos præclaræ illi confirmationi tuæ, quæ præcesserat, subijceretur à peritissimo dicendi artifice. Atque hætenus de conuentu Baionensi. reliquam tuam refutationem audiamus.

Sequitur autem de sex illis Helvetiorum millibus alieno & importuno tempore non tam euocatis, quàm in mediam Galliam inductis, atque adeò perductis Lutetiam vsque, cum propè iam dux Albanus vno aut altero antè

antè mense in Belgiū peruenisset. Respon-
 des idem quod Monlucius, cū in
 in Belgium comparatur exercitus, vt
 tum fiebat ab Albano, moris esse regi-
 bus Galliæ aliquas instruere copias,
 ne si quid fortè ille exercitus tētaret,
 Galli subitò opprimerentur. Hic mit-
 to, quod rectè Zacharias dixit, perspi-
 cum fuisse nullum eo tempore pe-
 tuisse tale periculum ab Albano me-
 tui, cū regi summa pax & amicitia
 intercederet cum Hispano, recens il-
 lo conuentu Baionensi omnibus mo-
 dis confirmata. cū Albanus ita esset
 verè religioni infensus hostis, vt ad no-
 stros opprimendos paratus esset po-
 tius regem adiuuare omnibus suis co-
 pijs, quàm illo in re tam sancta occu-
 pato vel minima offensione eius co-
 natus retardare. Nunc progredior lon-
 gius, & volo Albanum fuisse hostem.
 quid si aduersus eius exercitū nullus
 esse potuit illorū Heluetiorum vsus:
 potest ne dubitari ad aliū vsū, quàm
 ad obsistendū Albano esse euocatos?
 iam autem antè initio huius loci, in
 quo de perfidia Caroli quæritur, ostē-
 di

di Heluetios tunc attigisse fines Ducatus Burgundiæ, cum Albanus venisset in Belgium: vt iam tum in finibus illis non pōset metui Albanus. Ostendit ex illo tempore non modò non esse remissas domum eas copias, sed etiã instantius iussas esse procedere, & in medium regnum deductas Lutetiam vsque. Quibus in locis nō possent resistere Albano, etiam si adhuc tunc circa fines regni progredieretur Albani exercitus: cum illa loca longissimè distarent à regni finibus. Quòd si ita est, quid restat vobis etiã auctoribus, nisi vt illa auxilia, alioqui nulli vsui futura, ad res in regno nouãdas, & aliquid armis mouendum euocata esse concedatis? Quòd si aduersus aliquos mouerentur arma à rege, stultum esse oportuit, qui aduersus quos illa pararetur, non intelligeret. Sed de eo satis à me dictum est initio huius loci, & quidem ita, vt non tantùm quid hac euocatione quæsitū sit, sed etiam de perfidia regis, & pace iam multò antè ab eo violata, luce clarius possit cōstare.

De Guisianorum cōsilijs ex ijs quæ
eodem

eodem loco à me scripta sunt, intel-
 lectum est. Quæ cum antea semper ita
 fuissent, vt ad interitum bonorum &
 veræ religionis spectarent: tum verò
 in hac pace ad nostros contra pacem
 opprimendos non erant obscura. Ab
 his certissimum erat nostris periculū,
 nisi cauerent. Hi enim regem ita ar-
 mis & consilijs suis occupatum tene-
 bant, vt cum planè suum, & cum co-
 potentiam quoque eius suam fecis-
 sent. Cur ergo, inquis, nostri non
 Guisianos potius, quàm regem ador-
 tati sunt? quia cum rege his res erat, nō
 cum Guisij. Etsi enim eorum poten-
 tia summa erat, & ab his funesta ferè
 consilia omnia: tamen à rege bellum
 esse nostri intelligebant. huic vt regi
 causam suam approbari volebāt, huic
 satisfacere, non Guisij. Cur ergo, rur-
 sum inquis, Guisianis possessionibus
 nostri pepercerunt, regias, quantum
 licuit, occupauerunt? Non has potius
 quàm illas occuparunt, quia vellent,
 sed quia necessitas rerū administran-
 darum & belli gerendi ita tulit, vt fa-
 cerēt. Quòd si per belli opportunitatē
 licu-

licuisset illis solas inuadere Guisiorū
 possessiones, nūquam commisissent,
 vt in cuiusquam priuati possessione,
 nedum in regijs etiam vestigium po-
 nerent. Sed Rex bellum gerebat, non
 soli Guisij, inductus quidem à Guisij
 & matre gerebat: sed inductus tamen
 gerere volebat, & gerebat re ipsa. No-
 stri armis iustissimè susceptis necesse
 habuerunt facere ad iniusta arma de-
 pellenda, quòd belli administrandi ra-
 tio exigit, vt is quàm minimùm possit
 lædere, cuius vis & arma metuuntur.
 At enim in libello, quem tum nostri
 regi obtulerūt, nullam Guisianorum
 consiliorum, nullam de religionis li-
 bertate fecere mentionem. Si non le-
 gisti eum libellum, cur de re ignota,
 præsertim falsa tam confidenter affir-
 mas? Si legisti, ecquid te pudet? nulla
 enim de re eo libello comprehensum
 est diligentius, quàm de religione, &
 de aduersariorum iniurijs ac libidine.
 Extatq; is libellus etiam nunc & con-
 iunctim in historia illorum temporū,
 & seorsim. Sed faciamus de his capiti-
 bus duobus nihil fuisse scriptum no-
 mina-

minatim: adeone es imperitus rerū,
 & præsertim Gallicarum, vt illud totū
 de statu publico regni, de tributis, de
 vectigalibus, de ciuilibus officijs, non
 intelligas ad religionis libertatem, &
 ad Guisios in ordinē redigendos per-
 tinuisse? Status religionis & publica
 omnium ordinum lege, & pace prius
 facta cōstitutus erat. Lēges publicas,
 & pacem publicam ad statum regni
 pertinere nō putas? Pecuniæ verò pu-
 blicæ à Cardinali, & quibusdam alijs,
 per quos aiebātur motus & factiones
 in Gallia, administrabantur. atque ita
 administrabātur, vt ararium publicū
 longè amplissimum esset exhaustum
 istorum sedulitate & vigilantia: tota
 Gallia onusta tributis & vectigalibus
 misera oneri succumberet. Hi ergo ad
 rationem eius administrationis, item
 vectigalium & tributorum reddendā
 superioribus verbis vocabantur. Nec
 noua erat petitio, sed omnium ordi-
 num regni, quam isti publicæ pacis ho-
 stes omnibus modis conabantur im-
 pedire. Sed tu qui illa non intelligis,
 quæ etiam imperitissimi vident, & no-
 runt,

runt, adeò vecors es, adeò nihil præter
 conuicia didicisti, vt etiam in illis ve-
 rè & quod publicum sit affirmantem
 Zachariam tanquam imperitum ho-
 minem stultum voces. Vides, si tamẽ
 vides aliquid, vt ea sint pacis à rege vi-
 olatæ, & iustissimi nostrorum metus
 documenta allata à Zacharia, quibus
 certiora esse non possunt, & quantum
 artificiosa præscriptione tua in illis
 refellendis profeceris.

Sed fortasse iam obtinebis aliquid
 optima illa oratione Monlucij, quam
 subiicis, quamq; fingis ab illo habitã
 ad nobiles eos, qui Lutetiam obside-
 bant. Præclare enim illic nostrorũ in-
 saniam, rebellionem, impietatem ver-
 bis detexit & exercuit. De qua nihil ha-
 beo, quod tibi respondeam, nisi quia
 inuehitur in eos, qui iniusta arma ce-
 perunt aduersus regem, eiq; rei titulũ
 religionis obtendant, licere tibi per-
 uis dicere, & declamare quantum li-
 bet: id ad nostros non pertinere, de
 quorum causæ æquitate, vt & de perũ
 dia regis satis suprã cognitũ est. Nam
 quòd

quòd scribis quosdam ex nobilibus
 qui tum aderant, & nominatim Car-
 dinalem Castillonæum, Andelotium,
 Comitem Saltus, Comitem Rupefo-
 caldum libenter audisse dicentem il-
 la Monluciū, addidisse etiam animos,
 incitasse, exacuisse, liberè vt pergeret,
 tanquam eos, qui Monlucium vera di-
 cere agnoscerent, idq; etiam te certò
 scire dicis: fecisti ingeniosè & proba-
 biliter narrando, vt propemodum ti-
 bi crederemus. Aderas videlicet tu,
 cum illa gerebantur, & in consilia ad-
 mittebare, tametsi tum esses Valētiæ.
 Atque illud etiam tibi quis non cre-
 dat, eos quos recensuisti, qui ab aduer-
 sarijs metuebantur potissimùm, tan-
 quā qui causæ impensè fauerent præ-
 ter ceteros, ex quibus etiam quidam
 minùs contumeliarum patientes e-
 rant: eos, inquam, libenter audiuisse
 se increpari ab Episcopo Valentino,
 addidisse etiam animos, vt ille perge-
 ret? Ergo de his, quæ hîc facta esse affir-
 mas, permittam tibi nugari, vt vis: nec
 verebor, ne nobis etiam hîc tacenti-
 bus tibi quisquam tam absonè, tam

nõ consentanea rebus, personis, tempo-
 ribus narranti fidem habiturus sit.
 præsertim cùm addideris præstantes
 illos viros pro religione ægros arma
 tulisse, & suspiria sæpe duxisse. Quasi
 quisquam arma tulerit alacrius, aut
 quasi si nollent ferre, quisquam eos id
 facere cogeret. Sed omni verisimilitu-
 dine, atq; adeò omni artificio maius
 est, quòd illis etiam deinceps affingis
 orationẽ seriò aduersus se dicentiũ,
 & contra arma sua subtiliter differen-
 tiunt: quos tamen constat ita ea reti-
 nuisse, vt primi semper non tantum
 præliũ, sed etiam bellum inierint, po-
 stremi excesserint campo, aut arma
 posuerint. Adiecasti etiam te istarum
 rerum optimum esse testem: quia scilicet
 tu illis hominibus eras familiaris: cui
 nihil vnquam cum illis plus rei
 atque vsus, aut etiam ad illos aditus
 fuit, quàm cuius bubulco ex remo-
 tissima Gallia. Tu optimus testis: nem-
 pe quia summa fide, & dignus, quem
 in isto mirifico artificio tuo omnes
 audiant, qui ita scribis, vt omnes mi-
 rentur tantum vecordiæ innatum esse
 te cui-

se cuiquam, vt ita scribat, & in eo etiã
 sibi vehementer placeat. Quia tamen
 in illorũ oratione aliquid dicis, quo
 velut aliud agens bonam causam vel-
 lices, ommissa ineptia artificij rhetorici
 tui, de re ipsa paucis dicamus. Nefariũ
 est, inquis, contra regem, contra pa-
 triam, contra eiusdem ciuitatis ciues,
 contra parentes, contra liberos arma
 capere. Hęc omnia agnosco esse veris-
 sima. sed hęc in illis superiorum anno-
 rum armis in nostros nõ conueniũt.
 Nego eos tulisse arma contra regem,
 qui pro eius salute, pro dignitate tulerunt:
 qui illius regnum & bonas leges
 aduersus quorundam hominum, qui
 illum vi possessum tenebãt, iniustum
 dominatum & intolerabilem poten-
 tiam in suum statum asserere volue-
 rũt. Nego eos tulisse aduersus patriã,
 qui tulerunt, vt laboranti patrię & i-
 storum tyrannide penè oppressã opẽ
 ferrent. Nego eos tulisse contra ciues,
 qui tulerunt pro ciuibus aduersus re-
 gni & patrię, id est, publicę pacis &
 tranquillitatis publicos hostes, & qui
 dem infensissimos hostes. Nego deni-
 que

que eos tulisse contra parentes & libe-
 ros, qui pro eorum vita decertarunt:
 qui ideo tulerunt, vt gladios, illos ve-
 stros tot iam piorum proximorū san-
 guine madentes ab eorum, qui resta-
 bant, liberorum, parentum, vxorū cer-
 nicibus auerterent. Vos estis, qui edi-
 ta primū Vassiaci piorum Deū pub-
 licè inuocātium strage arma in regnū
 Gallia funesta intulistis, qui regem vi-
 occupastis, deturbatis de gradu ijs
 principibus, ad quos iure hæreditario
 atque omnibus legibus regni cura &
 administratio pertinebat. Vos regem
 ad cedes piorum & bellum ciuile per-
 traxistis, pertractum consilijs vestris
 perdidistis. Vos aduersus non pa-
 triam, quæ vestra non est, sed Galliam
 & regnum florentissimum vt arderet,
 omnibus regni partibus faces subiec-
 stis. Vos incendium à vobis excita-
 tum, nullo vnquam moderato more
 aut consilio restinguere, sed semper
 violata subinde pace maius facere co-
 nati estis: & si compescendum esset,
 maluistis restingui ruina. Cumque si-
 mulata illa, & ad fraudem instructa po-
 stre-

strema pace misera Gallia respirare in-
 cipere videretur, quid egistis piæ & ad
 salutem ac cōmiserationem proximo-
 rum factæ animæ? Clamat dies Bartho-
 lomæi execrabile illud & inexpiabile
 facinus vestrū, quo per inauditā perfū-
 diām, & extremum nefas omnia Gal-
 liæ loca, ciuium vestrorum, liberorū,
 parentum, piorū deniq; omnis gene-
 ris sanguine, lacrymis, eiulatibus com-
 pleuistis. Nec propterea ex illo quid-
 quam remisistis de solita feritate &
 immanitate vestra: sed furiosè perse-
 cuti reliquias, ea edidistis. commise-
 rationis vestræ exēpla ad Rupellam,
 ad Sacerram, & in prouincia Narbo-
 nensi, quæ adhuc in recenti memoria
 hominum hærent. Nec porrò desine-
 tis pergere, donec optima regni & pa-
 triæ columina funditus regnum euer-
 tatis. Noli igitur, si me audies, cūm de
 armis superiorum annorum agetur,
 istorum quæ tu tam rhetoricè collegi-
 sti, vnquam mētionem iniicere. alio-
 qui crimina, quibus nostros premere
 voles, omnium etiam tacitis iudicijs
 in vos redundabunt.

Scribis etiam impijssimum esse de-
 certare Christianos de certis opinio-
 nibus. Quod ais de certis opinionibus,
 multum refert opinionum verbo quid
 intelligas, vtrum falsas & impias de
 Deo opiniones: an verò veram religio-
 nem, & fidem. si falsas opiniones: assen-
 tior esse impium de his disceptare ar-
 mis, vt eas propugnes: non tamē quia
 Christiani sint, qui id faciant, sed quia
 per se sit impium id sentire, multoq;
 magis vi tueri, quo Dei honos & glo-
 ria violetur. Quā ob rem arma illa ve-
 stra impia ex animo detestamur, qui
 pro doctrinis dæmoniorum, pro ido-
 lis, pro abominādo illo sacrificio, quā
 Missam dicitis, pro igne purgatorio,
 pro inuocatione mortuorum, deniq;
 pro tot doctrinæ non tam corrupte-
 lis, quā monstris tot annos arma ge-
 ritis: in hoc vnum intenti, ne Euange-
 lio veritatis in tota Gallia sit locus. Sin
 opinionum verbo intelligis fidem, &
 religionē veram: primū verbo Dei
 magnam iniuriam facis, qui id opinio-
 nem voces: cū, vt Scriptura testatur,
 non sit fides nisi ex auditu, auditus au-
 tem

tem per verbum Dei, Rom. 10. Et putō
 ita loqueris, vt sentis, id quod dicitur
 verbum Dei, id quod homines religio-
 nem vocant, nihil nisi hominum esse
 opiniones: nisi tamen etiam quorun-
 dam hominum opiniones pluris aesti-
 mas. Quod ni ita esset, nunquam to-
 ties illulisses Deo: nunquam ab Euan-
 gelij & veritatis doctrina ad idolorū
 & dæmoniorum cultum te præsertim
 tam ambitiosè conuertisses. Deinde
 si pro religione, p̄ vero cultu Dei im-
 pium esse dicis Christianos armis de-
 certare: vide, quos tibi laqueos inijci-
 as imprudens. Quid enim, vis Christia-
 nis non licere omnino bellum gere-
 re? Non licet ergo his de iure publico,
 & priuato suo experiri: nō licet de eo
 disceptare apud Magistratum: id reti-
 nere, aut amissum recuperare, per Ma-
 gistratum. Etiam Magistratibus vti nō
 non licebit. Quod si licēt hæc omnia:
 licet & illis bellum gerere iuris publi-
 ci tuendi causa, si modò id per idone-
 os magistratus, per idoneos duces su-
 scipiatur. Non enim frustra magistra-
 tus gladium gerit, inquit Apostolus

Rom. 13. Huius autem gladij pars est
 in iure dicūdo, pars in armis, vt quod
 iure vsitato consequi non licet, id vi
 teneas. Quòd si licet Christianis arma
 capere & bellū gerere, pro qua re tan-
 dem licebit iustius, quàm pro religio-
 ne, quàm vt Deo suus honos & cultus
 constet? Bellū mouere religionis cau-
 sa, vt eam seras vi, & armis, non licet:
 cū serendi via à Deo constituta sit
 Euangelium, & pax in Domino, nec
 quisquā vocetur ad veram cognitio-
 nem & cultum Dei, nisi per fidem: que
 est in volentibus, non in coactis. At
 se defendere aduersus vim iniustam,
 quæ infertur religionis legitimè con-
 stitutæ causa, omnes leges, omnia iu-
 ra Christianis permittunt: si modò,
 vt dixi, per eos duces suscipiatur de-
 fensio, quibus Deus eius rei potesta-
 tem dedit. Quòd si non licet bellum
 gerere pro tuenda religione: maio-
 res illi vestri, quo iure olim aduersus
 Tartaros, Turcas, Arrianos bella gess-
 erunt? Atqui ita gesserunt, vt eorum
 facta in eo, & res gestæ omnium Chri-
 stianorum historijs celebrentur. Non
 sumus

sumus tales, inquit, neque aduersus
 tales arma gerimus. Ergo non ita scri-
 bere te oportuit, vt diceres, non li-
 cere Christianis de religione armis
 disceptare: nunquam fideles Dei ser-
 uos armis decreuisse in ijs certamini-
 bus, quæ Ecclesiæ DEI inferebantur.
 Nam si id verè definitur, illi omnes
 impij, certè non fideles Christi seruis,
 qui Barbaris pro religione & fide ca-
 tholica bellum intulerunt. Quid bo-
 ni illi Catholici tui quales erunt, si re-
 ligionem armis propugnare nõ licet?
 quo iure tandem pro sua religione
 bellum gerunt? non enim profectò pa-
 tiuntur, vt quis dicat eorum defensio-
 nem excusatam esse, sed vltro inferunt.
 Nec est, quòd neges religionis causa
 ab illis geri. Sunt enim innumera
 orationes vestrorum, quibus adula-
 tores isti laudant regem de armis su-
 scepris aduersus Hugonotos ad pro-
 pugnationem & propagationem ve-
 ræ fidei, & hortantur, vt in tam præ-
 claro incepto fortiter perseueret.

Conciones seditiosæ Monacho-
 rum in Gallia ad populum, vna hæc

arma

arma iusta esse, & ab omnibus seriò ca-
 pienda vociferantur. Pontifex Roma-
 nus vnà cū suo clero ad eam rem claf-
 sicum canit. Quòd si licet impijs & p-
 fanis impetere Ecclesiam Dei: fidelib^{us}
 & pijs principibus ac magistratibus
 eam defendere, & pugnare pro salute
 innocentium non licebit? Ego autem
 iam inuerto orationem, & aio Catho-
 licos tuos non nisi impiè bellum ad-
 uersus Euangelium & verbū Dei mo-
 uere posse: eos autē, qui, vt in confes-
 sione Euangelij & cultu Dei ex verbo
 eius publicè & legitimè constituto
 manere possint, se tuentur armis, & si-
 mul pro salute & vita liberorū, paren-
 tum, vxorū, familię fortiter dimicant,
 siquidem, vt suprā dixi, id idoneis du-
 cibus defensionem suscipientibus fa-
 ciant, quàm maximè piorum & fide-
 liū numero esse habendos. Talia fue-
 runt bella Israëlitici populi. Et, vt q̄ si-
 milimū tibi opponam, tale id, quod
 Machabæi fratres pro vera religione
 gesserunt: quod iustissimū & sanctissi-
 mum habitum est, nec vnquam satis
 laudatum: ne fortè nobis ex Philone
 oppo-

opponas illud Iudæorū factum, cum
 te Petronio Syriæ præfidi, à quo pro-
 pter religionem infestabantur, truci-
 dandos dedere, quam cum eo pugna-
 re maluerunt. Quòd ergo ais fideles
 seruos Dei religionis causa nunquam
 armis decessisse: satis in eo te Scriptu-
 ra tota & superiora exempla refellunt.
 Quòd autem ais moriendo eos, nō oc-
 cidendo fidem cōseuisse Christi, hoc
 rectè. Sed aliud est bellum inferre, vt
 ad fidē cogas, vt vos facitis, quod non
 est Christianum: aliud cum religio &
 eius libertas oppugnātur, pro his ad-
 uersus iniustam vim arma capere: q̄,
 vt dixi, licet facere omnibus legibus,
 omni iure, omniumq; populorū exē-
 plis. Et tamen quæ tua impudentia
 est, tuis parcens qui religionis causa
 occidunt, perdunt, grassantur, sæuiūt
 pro libidine in pios, prius autē, quam,
 vt mones, moriantur, quiduis faciāt,
 & in omnes se vertant formas rerum,
 non concedis nostris etiam defensio-
 nem, sed inueheris in hos solos, quòd
 persequentibus vobis, quamuis per
 summum nefas, non sustinent mori
 potius,

potius, quàm occidere. Si hoc crimen
 est, cur tu non obijcis tuis potius, qui
 vim inferunt, quàm nostris, qui pro-
 pulsant? Si non est, quid est, quòd no-
 stros ad vitam vobis prodendam ista
 oratione hortaris? Sed quid quæratis,
 scimus. Miserè cupitis fatuos istos Hu-
 gonotos, quos scitis ex fide agere, &
 pietatis sensu duci, sinere sibi specio-
 so isto religionis prætextu, quem nūc
 obijcis, persuaderi, quoties vos infesta
 arma inferetis, satius esse moriendo
 vincere, quàm occidendo. Et ô quàm
 expediret vobis id ab illis semel statui,
 quod si antea factum esset, non tanti
 constitissent vobis illę interneciones,
 quas toties aduersus illos frustra & nõ
 sine magno malo vestro tentastis. Di-
 ces, non ita Apostolos, non ita pios
 illos Christianos primis temporibus
 se gessisse, quos constat se non defen-
 disse armis, ne tum quidem, cum ab
 ethnicis Imperatoribus crudelissimis
 supplicijs in illos sequebatur, sed vitrò
 magna fortitudinis & pietatis laude
 se supplicio & martyrio obtulisse. Et
 de Apostolis, scimus hanc illis solùm
 pote-

potestatem à Christo datā esse, vt prædicarent Euangeliū, & per hoc homines ad cognitionem Dei vocarēt. Scimus iustos esse condere gladium in vaginam. Vnde intelligimus, quod ad res publicas & ciuiles attinet, eadem illos conditione fuisse, qua ceteros quosuis priuatos: proinde & fuisse cōtra conditionē ac vocationē illos bella exercere. Sed & alij, in quos postea longo tempore sæuitum est in Ecclesia Dei, priuati & ipsi fuerunt: quibus ob eandem causam non licuit armis Imperatori resistere. Sed alia conditio est magistratum Christianorum, itemque eorum, quibus Deus publicorum curam & tuitionem cōmisit. Non tantūm his licet publica sibi cōmissa tueri armis, si est opus, sed etiam vt faciant, fide & necessitate muneris sui obstringūtur. Si opus est, inquam: id est, si iusta causa postulabit defensionem, & id facient secundum leges publicas. Quod à nostris factum esse & conditio eorum, qui bella gesserunt, quos regni ministros & quasi custodes fuisse cōstat, & regni lex, quæ

ab

ab omnibus ordinibus de religione
 sancita erat, euidenter probant. De
 quo etiam paulò post plura dicentur.
 Quamquam & iam antè multi ex no-
 stris publicis scriptis id docuerunt, &
 spero, posteritati ita probabunt, vt de
 iure & equitate armorum nostrorum
 ac totius belli, quod antecessit, nemo
 vnquam possit dubitare.

Venisti ad numerum occisorum.
 Certū est illa immani cæde vestra oc-
 cisa fuisse ad quadraginta hominum
 millia. Nam tridui spatio plus quàm
 triginta millia cæsa sunt, vt ex ipsissi-
 mis legatorum regionum literis certò
 didicimus, quos nihil attinet nomi-
 nare. Sed tamen res ita certa est, vt nò
 sit admodum opus testibus, & passim
 inter vos audiuntur voces eorum, qui
 gloriantur multò plures esse interfe-
 ctos. Monlucius, qui eleuare illam cæ-
 dem in primis ad petitionem suã per-
 tinere intelligeret, vsque adeò fuit im-
 pudent, vt scribere auderet non plus
 quàm quadraginta nobiles reperiri
 posse, qui Parisijs sint occisi: quo tamè
 omnem penè nobilitatem nostrorū
 tum

tum confluisse ad nuptias sororis regis notius est, quàm vt pluribus verbis ad probationem indigeat. Et quod eiusdem impudentiæ fuit, non dubitauit testes in eam rem aduocare libellos ex Gallia in Germaniã missos, quibus mortuorum catalogum cõtineri diceret, & ad quem catalogum ipse occisos reuocaret. Hic vt in mendacio impudenti, stolido tamen, nec magnã refutationem desiderante, rectè quæsit Zacharias, quis esset iste catalogus, vbi, aut à quibus conscriptus: sentiens aut nullum hunc esse, aut fuisse ab illis ipsis sicarijs conscriptum, à quibus nostri trucidati sunt. Non enim ab ijs qui occisi erant, aut ijs etiam qui restabant ex nostris, poterat esse scriptus in ea consternatione animorum, in qua illis omnia morti similia videbantur. certè ab illis ad Monlucium scriptus esse non poterat. Nam quid illis, qui veram religionem profitebantur, esse poterat commercij cum Monlucio illius cædis auctoris legatum agente? Quid autem tu hoc loco? Eadem dexteritate ingenij qua soles, excusas,

L

quòd

quòd non dixerit Monlucius, libellos esse emissos à Catholicis. nempe quia id palàm verbis non expressit. At aut de his sensit Monlucius, aut falsum dixerit, necesse est. Vtrūvis elegeris, efficietur verissimè scripsisse Zachariam. Et tamen adeò ineptus es, adeò ratiocinandi imperitus, vt, quoniam verba Monlucij; de Catholicis non legebantur, sententiam de his esse negares. Ex quo rursus cōsuetæ stultitiæ tuæ cōsequēs fuit, vt quasi euidentissimè demonstrasses, quòd posueras, ita diceres, cūm eum catalogum irrideret Zacharias, eum impudenter affirmare, quod non est, solentem suo more: atq; adeò ita proiectum esse ad mentiendum, vt ipse numero suo omnem fidem derogaret. Neque metuis, ne in re toti orbi notissima omnium hominum sermone, ac præcipuè scriptis vestrorum refellaris, & pro malitioso & impudentissimo rabula habere. Veruntamen qui hunc scopulum vitare non poterat, vt imperitorum oculos auerteret, ridendo eum eludis, & quidem valde falsè, vt es natura festinus. Postulas ergo à

go à me ridens, vt si is nō est numerus,
 quem Monlucius dixit, ipse edam nu-
 merum occisorum, & addis fat scire te
 fore, vt, si aggrediar, hæream in ipso ca-
 pite, & vix me expediam, vix in solidū
 mille & ducentos efficiam. Verūm au-
 dere iubes & facere me delicias vobis,
 risusq; mouere. Numerum occisorū
 si scis, non debes, vt ab alijs tibi sugge-
 ratur, petere. Si ignoras, tamen nō cō-
 uenit me eum tibi edere, cui tam mul-
 tō antè, id est, iam ab initio denuncia-
 sti te mihi fidem non habiturum. ne-
 que ego in recensendis fratrum affli-
 ctionibus, tibi, qui illas libentissimè
 hauris & rides, gratum facere consti-
 tui. Sed editus est tamen hic tibi, & to-
 ti orbi verè, & edetur etiam fortasse
 postea, cū noles: neque id sine tanti
 sceleris, & eorum qui defensores exsti-
 terūt, infamia sempiterna. quo in nu-
 mero tu pro meritis tuis principem
 locum sortiere. Nam quòd iubes in ea
 editione me vobis delicias facere &
 risus mouere: dic quaeso, homo am-
 plissime, qui à minutis his hominibus
 cupis tibi delicias fieri, si ederetur, tibi

à me is numerus, qui fama & sermonibus omnium ferretur, quid haberes in eo, quod rideres? Nam si verus est, ut est nimium verus, commiserationē vobis cōmouere debuit, & lacrymas, nō risum, si modò nondum planè hominem exuistis. Sin falsus, quomodo tu falsum probares? Negares videlicet, & illos homines iudicares risu dignos, qui se auctoritati tuæ, & religioni, quæ perspectissima est toti orbi, opponerent. Magna certè occasio, ex qua delicias & risus captares. Ex quo iudicari potest, cū ea, quæ minimè oportet, rideas, cū ex ijs rebus, ex quibus minimè oportet, risus tibi nascantur, sanorum an insanorum numero haberi debeas. Scis enim intempestiuū istum risum indicium esse certissimum stultitiæ mentis.

Mon lucium rursus excusas, quòd negauerit eadem illam notissimam, cuius & auctores nūc toto cantantur orbe, regis, Ducis Andegauensis & aliorum quorundam iussu patratam: non quia non falsum dixerit, sed quia non fuerit ei in Gallia iniunctum, ut eadem

eadem nondum patratam excusaret
 apud Polonos, aut extenuaret, aut ne-
 garet. Et si de eo iam satis tibi supra re-
 spondi: tamen quia visum est tibi alic-
 no loco iterum huius rei mentionem
 refricare; & hinc ego tibi referam pau-
 cis, quæ illic respondi pluribus. Quid
 refert, si Monlucius in itinere de ea cæ-
 de madata accepit? Quod si fateamur
 sine speciali vlllo mandato illa cum fe-
 cisse, quæ diximus: quid ad rem perti-
 ner, si generaliter ei mandatum est, vt
 omnia faceret, diceret, quæ ad legatio-
 nem conducere viderentur? Postremo
 si gratis nocens esse voluit, auge scri-
 men, non diluis. inde enim existima-
 reliquit, qualis futurus esset certis præ-
 mijs propositis, qui spe sola rei bene-
 gerendæ iniecta in publico regni Po-
 lonici conuentu tam manifesti men-
 dacijs crimen nõ sit reueritus, dum ad
 tempus posset latere errore consilia-
 rijs obiecto, & hoc modo ad id quod
 cupiebat, peruenire. Lanfacius inq̃,
 post aduentum Monlucij ista defun-
 ctus est cura. Ideone antè nõ fecit ea-
 dem Monlucius? At fecisse illum ex

ipsius defensione constat. Quid ergo
 ista tergiuersatione est opus? quin tu
 apertè dicis, quod vides te nisi turpif-
 simè negare non posse? Rex enim ipso
 etiam Monlucio teste, eadem à se fa-
 ctam publicis edictis nō agnouit tan-
 tum, sed etiam ambitiosè est profes-
 sus. Nihil vetat, inquis, regem edicto
 in se facti vertissè periculum, etiam si
 non perpetrasset. Sed quoniam in eo
 publicis edictis & publica professione
 ipsius regis refelleris, nos te ad illa ab-
 legabimus, & iubebimus cum illo cer-
 tare. Interim te cum tua ista inficiati-
 one exhibilabimus prius, quàm illius
 confessionem esse cmentitam, falsa e-
 ius edicta docueris. Vertit videlicet in
 se facti periculum, vt id auerteret ab
 vniuerso regno, sic enim scribis: quia,
 inquis, nisi rex ipse auctor esset prodi-
 tus, vnusquisq; ausus esset passim citra
 auctoritatem publicam similia perpe-
 trare. Hoc verè est periculum auertere
 ab vniuerso regno, vbi rex facinora pu-
 blica approbet, non damnet & coër-
 ceat. Apage talem patronum, qui suū
 clientē perdat miserè in omnibus de-
 fen-
 sio.

fensionis partibus, tam malè & stolidè agendo. Et quisquam dubitat certissimum periculum rebus omnium & vitæ intentari, vbi non solùm impune, sed etiam rege ipso approbatore eadem peccare liceat? Quanquam verè dixisti, nisi rex esset auctor illius cædis declaratus, vnumquemque ausurum fuisse similia perpetrare citra auctoritatem publicam. Nam ista approbatione secuta, non potuerunt alij citra auctoritatem publicam eadem facere, cùm regem ipsum ad eadem perpetranda auctorem haberent. Si me audies, defines in posterum præscriptiones alijs scribere, & hoc officium omnibus modis tibi præscribes, postquam vides hanc exercitationem tibi cedere tam infeliciter. Quòd si perges iterùm stylum illum sumere in manus, de quo initio præscriptionis tuæ commemoras, vt alios defendas: certò futurum est, vt te & illos stylo isto tam malè parato planè conficias. Quid est enim, quòd subijcis, propter approbationem regis in illo scelere totam Galliam, paucis exceptis locis, sese in offi-

eio cōtinuisse, & multos spirantes mi-
 narum & necium nihil quidquā per-
 ausos esse vltra? Etsi hoc quoq; ex ea-
 dem officina mendaciū est, quod scri-
 bis post illam approbationem nullos
 quidquam postea esse ausos: tamen fa-
 ciamus omnes quieuisse: ideō ne om-
 nes quieuerunt, quia rex facinus ap-
 probauit? Imò quò maior esset appro-
 batio, eò auderent magis illa exequi,
 quæ concupierant. Quis enim nō in-
 telligit ex illa approbatione impuni-
 tatem fuisse propositam: hac autē pro-
 posita, non fuisse cohibitos nocentiū
 animos, sed multò magis ad idem au-
 dendum fuisse prouocatos? Simile est
 illud, cum, vt probes regem eadem il-
 lam non patrasse, hac ratione vteris,
 quia nunquam tam prauus eius ani-
 m⁹ fuerit, vt vbi nihil hostile erat, ipse
 faceret. Si dubitaremus, an rex ille au-
 ctor cædis & approbator fuisset, & de
 eo quæreretur, poterat huic coniectu-
 re esse locus, vt ex eo quod fieri nō de-
 buit, verisimile esse colligeres etiam
 factum non fuisse. Verum vbi de facto
 regis ex re ipsa, ex publicis eius edictis,
 ex

ex ambitiosa eius professione in publico totius Senatus confessu Lutetiae testata constat, quid ista ratione proficisci, nisi ut argumentum in te ita conuerteremus? Fecit Rex omnia hostilia aduersus nostros, & fecit, ut tu ipse confiteris, aduersus eos à quibus nihil erat hostile, ut reuera nihil erat, ac fecit etiam sine exemplo. Ex quo efficitur tua ipsius confessione summam fuisse animi eius prauitatem: quod negabas. Vides defensiones.

Negas deinde Monlucium prius quam excederet Gallia, illorum nefariorum consiliorum fuisse conscium: cum tamen idem fateare eum paulò antè, quam strages illa horribilis Lutetiae fieret, Comitem Rupefocaldum monuisse, si se amaret, ut discederet Lutetia, & se domum reciperet. addidisse etiam obnixas preces, ut hoc sibi crederet. quod Zacharias prius obiecerat. Si nullum certò periculum, nullam conspirationem nouerat Monlucius, cuius mentis fuit periculum denunciare amico, quod nullum erat, ex quo & illum in falsum metum conijceret, & falsa su-

spicione iniecta seditioes, & tandem
 arma inter nobiles & proceres posset
 excitare? Deinde vnde obnixæ preces
 ad cautionē in re ignota? Sed vt scias
 nos hīc plura scire, quā putas, nar-
 rabo quid Monlucio acciderit in illa
 profectioe Polonica, & quid dixerit,
 vbi, & apud quos, vnde omnes ipsius
 verbis intelligant, quā illa consilia
 de cæde cognita haberet prius, quā
 se daret ad profectioem. Nam Sam-
 mieri cū esset, quæ metropolis est Lo-
 taringiæ, & ad Manegrum præfectum
 Verodunensem recēs allatus esset nū-
 cius de cæde, & ijs quæ Lutetiæ gesta
 erant auctore rege, quo & de volunta-
 te regis ad persequendas reliquias co-
 gnouisset: ibi præfectus Monlucium,
 quem Sammieri esse audierat, ex nu-
 mero damnatorū esse, & sibi fuga con-
 sulere suspicatus, misit Sammierum
 propter vicinitatē vrbis legatum suū
 nomine à villa Dei, qui Monlucium
 prehenderet, & prehensum ad se duce-
 ret Verodunum. quod & factum est.
 Sed accidit, vt fit, cū ad prehenden-
 dum venisset præfecti legatus, vt dili-
 genter

genter interrogaret Monlucius, quā-
 nam causa esset istius prehensionis &
 ductiois. Ibi legatus Monlucio quā
 officiosissimè potuit, respondit peri-
 culi nihil esse, iussitq; eum esse animo
 tranquillo. Ac vix tandē multis blan-
 dis & amicis verbis metu consterna-
 tum & faucium conscientia cædis cō-
 stitutæ illius animum confirmavit.
 In itinere confirmatior factus, quòd
 neminem videret præter legatum, &
 aliquot equites, qui cum eo venerāt,
 penè iam omnem metum ex animo
 deposuerat: donec trajecto flumine
 intermedio, quod à Veroduno non
 longè distabat, animaduertit in vlti-
 riore ripa dispositos pedites sclopeta-
 rios aduentum eius & legati expectā-
 tes circiter septuaginta, equites cum
 his circiter quadraginta. Hic demum
 exanimatus Monlucius conuersa ad
 legatum oratione, Villa DEI, in-
 quit, iam sentio de me actum esse,
 & me à rege & regina huc missum, vt
 cui simulabant se parcere velle in il-
 la cæde, minore cum ignominia sua
 cum ceteris occidendum curarent.

Atq;

Atque hæc cum de cæde nullum verbum à legato esset interpositum. Interroga Monlucium: non negabit. Et si negabit, viuunt adhuc, qui tunc affuerunt, & Monlucium conuincent. Quare quod iam neges etiam ante perfectionem cædis illius cogitatæ conscium fuisse, nihil est. Et sanè quòd admonitionem illam eius ad Comitem Rupefocaldum non à conscientia sceleris cogitati profectam esse dicis, sed à coniectura diuinæ mentis, valde est ridiculum. De qua tamen multa nugaris, quæ si abs te sola essent posita, licebat ea præterire & irridere, vt sunt dignissima. Sed quoniã occasione hinc arrepta debaccharis in Admiralium, eamq; insectationem cum omnium piorum, qui cum illo præstantissimo duce in eadem causa fuerunt, contumelia coniungis, quæ eadem ad bonam causam opprimendam confers: nihil oberit, quo minus hîc quoque ingenium, & acumen illud tuum cognoscamus. Monlucius nimirum nouerat insolentiam intolerabilem nostrorum: nouerat ea quæ antecesserant: videbat,

bat, quæ fiebant, à Catholicis diutius
 ferri nō posse. Graues causas suspicio-
 nis dicis, cur in vrbe Lutetia, vbi erat
 Comes, tanta cædes fieret, qua etiam
 inuolueretur ille amicus. Sed mirum
 est, eas non venisse in mentem Monlu-
 cio multò antè, cū & ante cædē eæ-
 dem causæ fuerint. Mirum & illud, irā
 fuisse tempora monendi disposita &
 attēperata Monlucio, vt solū pau-
 cis ante cædem imminentem diebus
 eum mōneret, non antea. Pergamus
 tamen, & quod reliquū est, audiamus.
 Deinceps ergo insolentiam & fastum
 intolerabilem probas. & vt semel res-
 tora tibi conficiatur, statim iugulum
 petis. Quod ita te facere putasti, si Ad-
 miralium, impium, inquam, illum &
 nēfarium Admiralium nostræ factio-
 nis, vt vocas, principem aggredereris.
 Notum est, inquis, quo fastu, quo su-
 percilio, quo comitatu septus Admi-
 ralius ille factionis vestrę princeps ve-
 nisset in aulam, quā se gessisset inso-
 lenter, quā magnificè loqueretur, &
 vel voce vel gestu hæc ferè iactaret ef-
 frenus. At quomodo notū? hoc enim

exte audire cupimus. Hic rursus spe-
 ctetur artificium hominis singulare.
 Quæcunq; dici possunt in sceleratos,
 impios, & omnibus flagitijs contami-
 natos homines, ea vndiq; conquisita
 coniecit in Admiralium. Et vt eorum
 omnium facilius fidem sibi faceret o-
 ratio, miro artificio compositam ora-
 tionem illi affinxit homo omniū, qui
 viuunt, ineptissimus, qua ipsum eadē
 de se vltro profitentem, atq; etiam a-
 pud regem de his gloriātem inducit:
 nec dubitat etiā, vt omnibus raræ cu-
 iusdam artis specimen ederet, ita con-
 cludentem proponere: qui deniq; in
 regno tuo multos annos impiè nefā-
 ricq; alia super alia sum ausus. Ecce
 me, qui hæc feci omnia, & possum fa-
 cere, cum mihi libuerit iterum atque
 iterū. Non hic tecū cōtendam de Ad-
 miralio, qualis vir & quantus fuerit:
 neq; laborabo in his refutandis, quæ
 tu in illum dixisti: Coniucia enim tan-
 tum sunt meretricia cōgesta, nulla fi-
 de, nullo discrimine atq; delectu, ad-
 uersus quæ defensore nō indiget præ-
 stantissimi viri virtus tot rebus domi-
 forisq;

forisq; pace & bello, publicè ac priuatim spectata. Et erit, spero, tēpus, quū de eo plura & certiora non sine dolore audiat. atq; hic locus tantam præstantiam nō caperet. De artificio tuo, nisi molestum est, pauca dicam. Propositum hīc tibi est, aut certè esse debet probare, quàm ille se gessisset insolenter reuersus in aulā, quàm magnificè loqueretur, & vel voce, vel gestu videretur iactare ea, quæ in ingeniosa ista oratione subijcis. Id nobis quomodo probas? Quia nefanda illa omnia de se ipse professus est apud regē, vsq; adeò, vt minitabundus regi iactaret se eum esse, qui hæc eadem posset facere, cum vellet. Si vera dicere volebas, diceres saltem verisimilia: si non verisimilia, saltem consentanea: si nec consentanea, at certè absurditatem caueres. Admiralius, si tibi credimus, in pace dicebat regi se eum esse, qui regem regno spoliare omni opere annisus sit: cum maximè ardente bello semper nostri omnibus scriptis testati sint se id agere, vt regnū ab aduersarijs regi assererent. Admiralius

inter

Inter summa facinora narrabat se cru-
 ces pia peregrinantium, & salutis no-
 stræ indicia disturbasse: se signo cru-
 cis, quod ad omnem actum, ad omnem
 incessum nunquam non adhibere
 pijsissimi Christiani, abhorruisse. Valde
 consentanea narras illius religioni ac
 fidei. Admiralius homo, ut postea
 dicis, auarus, & qui apud regem se gra-
 tiosum quàm maximè esse cuperet,
 quò facilius ab eo locupletaretur, di-
 cebat regi se illum non pluris fecisse,
 quàm expositum infantem aliquem
 eductum è cœno. Hoc amplius cum
 multa tetra se admisisse aduersus re-
 gem & patriam esset confessus: tamen
 gloriabundus minitabatur se eadem
 posse facere, cum vellet. Hæc verò de-
 mum conueniens est homini cupido
 & aulicò, apta ad beneuolentiam re-
 gis sibi conciliandam oratio. Et quis
 est tam rudis in schola puer, aut ex i-
 ma facce tam abiectus baiulus, qui ista
 rã ineptè aut absone fingeret? Quàm
 igitur oratio tua arguit Admiraliū
 illa nō dixisse, quæ scribis, tam eadem
 oratione efficitur, ne existimetur ita
 se in-

se insolenter gessisse, & ita magnificè loquutus esse, vt proposueras. In quibus cum te tam ridiculè dedisses, restabat tuo more, vt eadē stoliditate quasi optimè confectis & probatis rebus colligeres, insanam ergo mentē fuisse Admiralio, qui post tot facinora subito elatus veniret in aulā, & illa vel voce vel gestu eloqueretur, & regi regisque quodammodo legem daret, incuteret certè terrorē omnibus. Et quæso, in isto aduentu Admiralij in aulā, de quo scribis, quæ tandem insolētia, & quæ infania mentis potuit videri? Si sponte venissetis, cui per conditiones pacis, per voluntatē regis licebat, propter magistratum autem, quem gerebat, facere necesse erat, nemo, opinor, iustè reprehenderet: quia id fecisset, quod posset & deberet. At, ne quid sit omnino, in quo illum huius aduentus nomine condemnes, satis constat eum non nisi, non dico iussu, sed propè dicam obnixis precibus regis adactū in aulam venisse. cumq; eò profectus saepe quæsita occasione discedendi veniam petisset à rege sibi dari: tamen il-

lum non impetrasse, sed à rege, qui se illius opera carere non posse diceret, partim imperio, partim blanditijs atque assimulata beneuolentia esse contentum. Noli ergo quærere, quæ mens Admiralium egerit, vt veniret elatus in aulam, qui sponte non venerit, sed ab eo, cui vocandi ius fuit, coactus. Noli dicere optimum principem cupiditate publicæ pacis ductum tulisse vt cunque Admiralium, cum ab eo Admiralius retineretur inuitus. Veruntamen ne sic quidem impetrabimus à re, quin dicas Deum illi mentem sanam ademisse, alioqui futurum fuisse, vt is, qui cautissimus fuerat semper, se domi contineret. Quid ergo, iussus venire, regi parere non debebat? Mitto regis imperium. Ipse in eo magistratu, & ea velut statione, in qua à Deo collocatus erat, muneri seruire, & Recipere operam ac bene consulere non debebat? Imò si non venisset, & Rex inde aliqua sinistra suspitione de eo collecta, in eum aliquid constituisset seuerius, tu esses primus, qui illum iure meritoque casum esse diceres: vt qui cum

debuisset, non paruisset regi, sed semper animum peruicacē & ad resistendum factū ostendisset: vt appareat omnem tibi occidendi Admiralij idoneā & iustam causam futuram fuisse. Sed tamen, inquis, venire non debuit. Nō enim fidem tantam habere debuit instrumentis pactionum, vt non meminisset, quid aliquando Frācisco Altermoni, & Petro Syluano Gādauorum ducibus aduersus eiusmodi instrumenta à duce Burgundiæ contigisset. Hic primum de instituto tibi respōdebo. Nam etiam si instrumentis fidere non debuisset Admiralius: tamē nihil hoc faceret ad probādā eius insolentiā, nihil ad id, vt videretur propterea superbē se gessisse & magnificē locutus esse. de eo autem tibi institutus erat sermo. Secundo loco siue ad rem pertineat, quod dicis, siue non pertineat, velim consideres, ipsum illud quale sit, quod scribis. Ais non debuisse Admiralium instrumentis pactorum fidere. At hoc nihil aliud est, quā cum non debuisset regi fidere. Quæro igitur, si fidit, & nihilominus

contra fidem trucidatus est, in vtro
 sit culpa: vtrum in eo, qui fidem non
 seruauit, an in eo, qui regi suum hono-
 rem habens publica fide data ei fidit?
 Nemo dicet in eo esse, qui fidit ei, cui
 debuit. Sed faciamus in eo fuisse: quā-
 tum igitur crimen in eo esse oportet,
 qui fidem violauit? Tu autem iusto il-
 lo iudicio Dei, de quo commemoras,
 tactus ita præceps ferris, vt illa, quæ
 sunt in Admiratio honesta & sancta, p-
 piaculo & iusto iræ Dei iudicio habe-
 as: illa autem scelera nefaria siue regis,
 siue vestrorum, quæ in illa cade conti-
 gerunt, nō modò leuiâ, sed etiam lau-
 de digna censeas. Si linguas, inquis, mi-
 nimè possumus, at oculi hominū ma-
 lè de nobis opinantium sunt vitandi.
 Sed cur vitandi? opinor, nostra causa,
 ut ab illis nobis caueamus, néue in pe-
 riculum nos conijciamus: non illorū,
 qui de nobis malè existimāt, qui si of-
 fenduntur nostro conspectu, vbi pro-
 dire ius & necesse est, vbi eos lædendi
 animus non est, ipsorum culpa est, q̄
 offenduntur, non nostra. Ac demusc-
 tiam ipsorum causa esse vitādos. attamen

men non vitasse, crimen & scelus non
 est: sed incogitantia, vel securitas mi-
 nus considerata: ad summum culpa,
 quæ auctori suo solùm noceat, non a-
 lijs. Culpa certè, quæ iudicium Dei &
 iram in se nō attrahat, vt propter eam
 dici debeat, vt tu facis, eum qui ab ad-
 uersarijs occisus est, incidisse incautū,
 intutum, imprudentem in parata sibi
 antè diuinitus, prouisaque supplicia.
 Alioqui nihil hic abs te dicitur, quod
 non cōueniat in Abelum iustum: qui
 dum fidit fratri suo, tamē ab illo per-
 fidiosè & nefariè occisus est. In quo
 nemo vnquam fuit, nisi profanus, qui
 simplicitatem & credulitatem Abelis
 reprehenderet, multoq; minus qui iu-
 dicij & iræ Dei aduersus peccatum A-
 belis indicium esse diceret. At contrā
 per hanc occasionem proditoriè tru-
 cidare eum, qui nō modò eo factō te
 non lædat, sed etiam se fidei tuæ com-
 mittat, cui eidem omnes de te bene-
 existimandi causas, omnes beneuolē-
 tiæ & amoris significationes des: hoc
 demum est crimen, quod abs te nota-
 ri, & aduersus quod te ferri oportuit,

si homo esses, hoc crimen, cuius perfidia & crudelitas innumerabiles alios
 omnis generis complexa iudicium Dei nunquam effugiet, multoq; minus, quàm Caini, qui fratris simplicitate abusus sibi fidētem interfecit: sed unum, nō quadraginta hominum milia, ut vos fecistis. Et tamen Caini factū tale est, quod nobis sacræ literę ut abominandum & inexpiabile proponūt. Nec dubium est, quin iusto illo tot innocentium sanguine effuso factū omnium vestrum tales habiturum sit exitus in his, qui pœnitere nesciunt: quē numerū tibi, miser, ita visum est augere, ut etiā ceteris ad perseuerandū in delictis & insana gloriatione ex nefarijs parricidijs collecta auctor esses. Hacten⁹ potes videre, si qd potes, q̄ certa argumēta attuleris superbiæ & insolentię intolerabilis, quę fuerit in Admiratio. de quo tibi ꝑꝑatio erat suscepta. Reliqua huius insolentię & petulantię etiam in alijs ex numero nostrorum argumenta audiamus. Hęc autē sunt in summa ferè quatuor. Primum quòd Pilco cunctiuis cuiusdam op
 pidi

pidilitigati, & nescio quid ex pactio-
 ne tempore belli interposita petenti
 Admiralius adfuit: & tandem impe-
 tratum est à rege, vt Pileus ab oppi-
 danis partem eius, quod petierat, ac-
 ciperet. Nónne magnam impuden-
 tiam Pilei nobis probas, qui suum
 persecutus est apud regem: maximū
 autem crimen Admiraliij, & in primis
 intolerabilem insolentiam, quòd Pi-
 leo egregio duci & amico operam in
 ea re nauare voluit, & eum sua prae-
 sentia iuuare? At enim petitio Pilei
 fuit improba & iniquissima. nam cū
 oppidani promisissent pecuniam ob
 causam, non modò ea causa secuta
 non erat, sed etiam Pileus dolo fece-
 rat, vt contra conuentionē fieret. Et si
 an hęc causa vnquā ex factō acciderit,
 nescio: tamen quasi acciderit, sic acci-
 pio. in qua, vt tu ipse refers, apparet nō
 de iure, sed de factō fuisse quæstionē.
 Nō enim petebat Pileus, q̄ ob causam
 p̄missū erat, siue causa secuta esset, si-
 ue non esset: sed cū diceret esse secutā,
 oppidani negarent, de eo litigabatur,
 an esset secuta. Cur hīc potius imp̄bus

Pileus, qui factū esse aliquid dicebat, quàm oppidani, qui factum non esse contendebant? Sed te auctore verum dicebant oppidani: impudenter autē contrā, quàm omnes sciebāt, mentiebatur Pileus. Si quidē tibi credimus, & suggerēti Monlucio, ita est, sed ignoscetis ambo: ab aduersarijs nō est idoneum testimonium, & præsertim vbi fides eorū in rebus omnibus, & in tota vita laborat. Proinde huius rei probationem abs te expectabimus ex illis actis, quæ omni suspitione careant. N. sed ad alia argumenta veniemus. Alterum argumētum est insolentiæ Admiraliij, quòd is res sibi & fratri contra edictum, quo sancita pax erat, ereptas apud regem repetijt. Næ & hoc quoq; magnæ insolentiæ & petulantia argumentum est id persecutum esse Admiraliū, quod priuatis & infimæ sortis hominibus quibuslibet licuerit petere. Sed reposebat, inquis, eo stomacho & iracundia, vt verba eius aut consilia neque Rex neque ceteri, quos in consilium assumpterat, recipere possent. Atqui hæc ratio eadem est cum
pro-

propositione. Proposueras enim Ad-
 miralium insolentem & petulantem
 esse, ac de eo quærebatur, an esset. Tu
 autem nunc nihil aliud dicis, quàm il-
 lum in hac causa fuisse insolentem: &
 tamen minus, quàm prius. Nos tibi
 prius negaueram⁹ in vniuersum. Qua-
 re vt in hac causa tibi à nobis conceda-
 tur, frustra petis. patri, vt ille festiuè re-
 spondit, negaueramus iam tuo. Ter-
 tium argumentū est, quòd in hac ipsa
 re persequenda, vel certè in alia, cuius
 non meministi (sic enim ipse scribis)
 præsentè rege semel (pro aliquando,
 secundum linguam Gallicam) parum
 absuit, quin inter se Admiralius & Ni-
 uerni dux ferrum manusq; confere-
 rent: tanta dux ab Admiratio procaci-
 tate lacebatur. Si inde insolentiam
 & procacitatē Admiraliij arguis, quia
 fuit illi cōtentio cum Niuernensi du-
 ce: magnum nobis obiecisti argumen-
 tum & indissolubile. Vt non ictus fu-
 ssum infamiam irrogat, sed causa pro-
 pter quam quis fustibus cæsus est: sic
 in contentione non contentio ipsa,
 sed causa contentionis iniuriam aut

insolentiam habet. Si iniusta de causa
 contendit dux cum Admiratio, à du-
 ce iniuria & insolentia est, non ab Ad-
 miratio. Prius ergo de causa probare
 te, aut saltem dicere oportebat, ut sci-
 remus, qualis, & quæ iusta, & cui iusta fu-
 isset cõtendendi causa. Tu aut nõ mo-
 dò hãc nõ attingis, sed etiã vltro fate-
 ris te non meminisse, in qua causa &
 qua de re ea rixa cõtigerit. Ex quo ap-
 paret te iniustã cõtentionẽ Admiratio
 nõ ex causa, sed ex persona metitũ ei-
 se, ut hoc ipso insolens esset & superbus
 Admiratio, quæ cũ duce cõtendere au-
 sus esset. Imò, inq̃s, summa pccacitate
 dux ab Admiratio laceffebatur. At qui
 hoc, in quibus, ex ijs, quæ in narratione tua præ-
 cesserunt, non colligitur, tantũ quæ huius
 rei fidẽ in auctoritate tua esse vis, non
 cogitãs, quod hinc tibi negaturi sint oēs,
 quibus fidẽ te facere oportebat. Quare
 hic quoque p̃bationẽ tuã, cùm voles, au-
 diemus. Nos quidẽ hoc scimus, quæ iusta
 fuerit Admiratio causa, cur duci se op-
 poneret. Sed quoniã nihil nũc attinet
 nõ necessaria p̃batione onerari, mihi
 sãtis erit in p̃sẽntia te, qui ais, ad par-
 tes

tes tuas reuocare. Quartum argumen-
 tum expectatū tibi seruabatur ad ex-
 tremum, de Euangelicis videlicet, qui
 desideria sua exponebāt regi. Id enim
 nunquam faciebant, nisi cū animad-
 uertebāt Admiralium in consilio ad-
 esse. Habemus iam, q̄ sit satis, ingēs ni-
 mirum & minimē dubium turbulen-
 ti & insolētis animi documentū. quo
 nescio, an vllū potuerit boni, magni
 & sapientis viri certius argumentum
 reperiri. Hunc Euāgelici expectare to-
 lebant, quia hoc absente non poterāt
 quidquam æqui obtinere. Præsens po-
 terat auctoritate reprimere impetus,
 retardare aduersariorū iniurias. Hoc
 præsente cogebātur alij dicere senten-
 tias: quib⁹ dicētibus nō poterat huic
 imponi, q̄ intelligeret, qd rectè aut se-
 cus diceretur propter vsū & experiē-
 tiā rerū ac iudiciū etiā diuinitus datū
 singulare. Si quid iniquè videretur a-
 lijs, non metuebat inimicitias aut si-
 multates, quò minus q̄ verū & rectum
 cognouisset, id tueretur, & regi auctor
 esset, vt faceret. Auctoritate denique
 & grauitate eius p̄motos aduersarios
 pude-

pudebat aliud dicere, quàm verum, aliud censere, quàm æquum. Et cur nunc gemus iam attulisse te optima & grauiissima istius & nostrorum insolentię argumēta? Nam quæ de Roberto caudico Parisiensi, & Cauanio senatore Tolosano nugaris, quid ad rem pertinent? Dixerint sanè illi aliquid aut fecerint insolentius, quid hoc ad Admiralium, quid ad ceteros duces & nobiles, atque adeò ad omnes alios, qui religioni reformatæ nomen dederant? Quid? an ignotum est patronos causarum & aduocatos multa sæpè dicere pro causa audentius, dum officio fungivolunt, & ex fide sua esse existimant omnia dicere, quæ ad vincendū pertinent? Magnum verò crimen impingis Roberto, quòd in causa quadam principis Condæi cum ageretur de iurisdictione Sueffonum illi redintegrandæ, exorsum fuisse dicis à ciuilibus dissentionibus inter ducem Burgundionū, & ducem Aurelianensem. Quis scis, quamobrem id fecerit, aut quò spectarit? neque enim, vt puto, habes eius orationem. Volebat, inquis, ostendere gentem,

gentem, vnde exortus erat, sceptro esse indignam. Næ tu mirificus es dialecticus in rebus omnibus, qui tam acutè ex ijs quæ antecedunt, efficis consequentia. Scilicet dissensiones quæ fuerunt inter illos duces, significant hoc aut illo natos esse indignos regno. Quid, si ne hoc quidē, quod dicis, sentire potuit Robertus? Cui enim secundum regē maximè addictus erat? principi Condæo. Cuius causam agebat? Condæi. Et quomodo potuit insinuare, insuadereq; vt tu loqueris, gentē vnde rex ortus erat, esse indignam regno, nisi idem & de gente Condæi significaret, rem non tantum alienam ab officio & fide, qua illi obstrictus fuit, sed etiam actioni eius & causæ contrariam? Quorum alterum est improbi, alterū etiam stulti causidici. quod posterius in Robertum citra controuersiam non cadit. Fuit enim omnium consensu patronus optimus, & cordatissimus. Minatus est Robertus vim atque arma. Audio veterem cationē vestram, tuam dico & Monlucij. Nam & Monlucius in sua defensione cum nihil

nihil haberet, quod Admiratio & ce-
 teris nobilibus obijceret, cur inter-
 secti videri possent, hanc causam re-
 perit, vt diceret illos vim & arma es-
 se minatos. Equidem de Roberto
 graui & præstanti viro ita existimo,
 nihil illum in ea actione dixisse aut
 fecisse indignum viri boni & grauis
 aut modesti officio. Vt autem fe-
 cisset, atque etiam vt esset improbi-
 simus Robertus: priuatus tamen fu-
 it, cuius peccatum non læderet cete-
 ros, qui eandem religionem profite-
 bantur. In Cauanio autem quòdnam
 est istud tantum crimen, quod illi ob-
 ijcis? In summa quod dixit aut perpe-
 tuum vel irreuocabile edictum fore,
 aut p̄ infecto, irrita, cassã omnia. Obie-
 cro, cum hoc dictum furori mentis attri-
 buis, ipse sanus tibi videris? aut, vt di-
 cam mollius, cum hoc reprehendis,
 satis cogitas, quid dicas? Quid enim
 potuit ab illo dici verius & rectius?
 Leges si non seruantur, leges nõ sunt,
 & ob id quæ secundum illas acta sunt,
 irrita esse oportet, quia non sunt ex
 legi-

legibus. Tu qui alios quotidie doces, adeò præposterè doctus es, & imperitus eius iuris, in quo versaris, vt illam sententiã esse verissimã te ipsum docere non potueris?

Quando igitur insolentiam, audaciam, superbiam Admiraliij & comitum consccleratorum tam liquido probasti, veniamus iam ad Monlucij diuinationem. Hunc enim vis quòd Comitem Rupefocaldum, de quo suprã diximus, paucis ante eadem diebus monuit, & tam obnixè orauit, vt excederet Lutetia, non idè fecisse, quia consiliorum futuræ cædis fuerit non ignarus: sed quia homini sagacissimo & acutissimo præsentium futurarumque rerum cauteri facilè fuerit ex istis moribus & actionibus futuram perniciem eorum præfagire. Fuerit sanè, vt vis, omnium mortaliũ sagacissimus & acutissimus Monlucius. Is certè ex ijs, quæ non sunt, aliquid esse futurũ diuinare nõ potuit. Tu autem nihil dixisti in istorũ moribus aut actionibus, quod non

nō aut per se publicè & putidè falsum sit, aut quod tua ipsius oratione non apertè refellatur. Quòd si illa vera essent, quæ obiecisti: nō tamen tam ingenij & acuminis foret ex illis conijcere magnum aliquod malum manere auctores, quàm summæ imperitiæ id vel ex verbo Dei, vel ex quotidiana experientia futurum esse non intelligere: vt non fuerit, cur hīc nos ad præfagationem tuam reuocares. Et verò quænam hæc præfagatio est, & quomodo eam nobis statuis? Est, inquis, in animis hominum præfagatio quædam extrinsecus iniecta atque inclusa diuinitus. Non fuit ergò quòd hīc Monlucio, quantumuis acuto & sagaci homini, quidquam tribueres potius, quàm ceteris hominibus. Nam & ceteri homines sunt, & animos habent à Deo datos non minus, quàm Monlucius. Atque hac ratione efficitur etiam nō inefficacis animis hominum à natura præfagationem & diuinationē. non enim omnes homines diuinant aut præfagiunt futura. Sed vnde ista præfagatio diuinitus? quippe homines, inquis, Diuorum

uorum cognatione tenentur. Qui sunt
 isti Diui, & quæ istorum cum homini-
 bus cognatio est? Diuos si intelligis
 Deos aliquos minores, vt Ethnici illi,
 à quibus hanc egregiam sententiam
 mutuatus es, quasi cum illis Dijs co-
 gnatos animos habeamus: apage te
 homo profane cū tua ista cognatio-
 ne, & tuis Diuis: cū vnus sit tantū
 verus & æternus Deus, Dij autem gen-
 tium dæmonia. Quo ipso etiam con-
 uincitur nullam esse nobis cognatio-
 nem cum his, qui non sunt. Sin intelli-
 gis homines mortuos in beatorū nu-
 merū relatos, quos vos appellatis Di-
 uos: sanè sumus illis cognati, quia ab
 eodē parente, æterno Deo orti & crea-
 ti sumus omnes: sed propter istam co-
 gnationē non fit, vt prælagiamus. Pri-
 mū enim quī scis, an illi cum nunc
 in cælo agūt, prælagiant, quæ hīc sunt
 futura? Deinde si prælagirent, nō ideo
 idem ad homines transferri oportet.
 Illi enim corporum vinculis solu-
 ti liberius agunt, & rectius atque acu-
 tius cernunt omnia, etiam quæ sunt
 quàm longissimè distita, vt poteluce

cœlesti & diuina vndique collustrati.
 Nos cœno corporis velut obruti, & in
 terra, nō in cœlo versantes, plerūq; ne
 ea quidē, q̄ sunt ante oculos, videm⁹.
 Præfagiuerunt serui Dei p̄phetæ: & p̄sa-
 giūt sæpè alij homines. verū nō q̄a ho-
 mines (alioq; eadē vis inesset in omni-
 bus) sed q̄a priuatim acceperūt à Deo,
 vt possent: q̄ sua dona largitur, vt vult,
 & quib⁹ vult, quādo, & quaten⁹. vt pla-
 nē impia sit & profana sentētia tua de
 præfagitione, hanc vim ad nescio quā
 istā cognationem omniū hominū re-
 uocātis. Quare vt eodem redcā, si falsa
 sunt, q̄ sumpsisti, vt nihil est magis fal-
 sum, non potuit mortaliū quisquā ex
 ijs q̄ nō sunt, quidq; diuinare. Si vera,
 tamē nō potuit Monlucius potius, q̄
 quis ali⁹, nisi ei à Deo datū esset. Pro ca-
 pru & intelligētia prudentiū hominū
 dici potuit nō euasuros iudicium Dei
 superbos. Sed tēpus designare, quo id
 futurū fuerit, & indicare illas nuptias,
 q̄ mox secuturæ erāt, nō ex diuinandi
 vi aliqua diuinit⁹ inclusa natū est, sed
 ex cōsiliō illius sceleris cognitione.
 Posthęc velut de acerbitate aliqd re-
 mit-

mittēs, mitius agis, & excusare incipis
 Monluciū, q̄ negare instituerit apud
 Polonos eadē illā cōtigisse volēte re-
 ge, & q̄ tā multa de ea, de Admiratio &
 ceteris, eorūq; factis dixerit. Ais fecisse
 puocatū & coactū à cōpetitorib. q̄ nul-
 la re magis eū oppugnabant, q̄ illa cæ-
 de, cui⁹ auctores dicerētur hi, q̄ regnū
 ambirēt. His erat legato respōdendū.
 Qua ratione respōderet, inq; nisi qua
 respondit? Si de nefarij petitoris imp-
 bo & mendaci legato interrogas, deq;
 eo: q̄ vellet illius sceleris infamiā vitā-
 do ac minuendo, deniq; q̄ dvis respon-
 dēdo ad regnū puenire: rectē interro-
 gas. & concedo nō potuisse Monluciū
 aliter respōdere, q̄ fecit, id est, gnauiter
 mētiēdo. In qua arte se esse egregiū ar-
 tificē illa defensione valde pbauit. sed
 si de viro bono loqueris & veritatis a-
 mātē: nunq̄ ita respōderet Mōlucius:
 sed oēm fidē, oēm clientelā regi renū-
 ciaret potius, q̄ tā turpē defensionē su-
 sciperet, q̄ Dei gloriam, veritatē, regni
 Polonici incolumitatē, proximorum
 salutē & famā tā scelerato mēdacio p-
 dcret. Sed enim si qua hīc fuit de cæde

obiurgatio, eam introducere aduersa-
 rij: si quæ excusatio, eam ijdem prouo-
 cauere, nec vllō modo spectabat Mon-
 lucij legatio ad eam rem. Nemo accu-
 sat Monlucium, quòd de cæde dix-
 erit, sed quòd ita dixerit, vt auctores &
 conscios defendens culpam cædis in
 innocentes ad contumeliam pij san-
 guinis & veræ religionis cõferret: qua
 ex re etiã pios, qui supereffent, in ean-
 dem damnationem vocaret. Si cog-
 batur respondere Monlucius propter
 aduersariorũ accusationem, nõ ideo
 falsum dicere, non ideo responsione
 sua veritatem, innocẽtiam, pietatem
 lædere cogebatur. Dixit tamen ita, vt
 nisi omnia vera essent, quæ dixit, testa-
 retur se pro nebulone & impostore ab
 omnibus viris bonis posthac haberi
 velle. quæ non à me nunc finguntur si-
 dei illi abrogandæ causa: sed quia scri-
 ptum hoc ab illo est totidem verbis,
 & scriptum apud nos est ipsius manu
 subscriptum, ideo à me dicuntur. At
 etiam cædes displicebat Monlucio ve-
 hementer, ne quis hunc putet, nisi co-
 actum ad eam defensionem venisse.

Tan-

Tanto ille turpior, si, cum factum sciret, & valde improbaret, mercedem, vel principis sui voluntatem ac commodum gloriæ Dei & veritati prætulit. Quæ cum dico, an hic quidquam tibi deprauare videor, & detorquere in aliam, quàm actum est, partem? Id enim à me & à nobis omnibus fieri, deinde quereris. Monlucius legatus, vt Polonis imponeret, negauit eadē illam factam, quam omnes factā sciebant, & ipse in primis non ignorabat. Cum videret difficile esse negare, tentauit efficere, non esse factam auctore rege, in quo publicis edictis regijs & sua ipsius confessione cōvincebatur. Ad extremum ne quid deesset ad improbitatem defensionis, conatus est ostendere eadē iure esse factam. In quibus omnia ita sibi videtur refutasse Zacharias, vt quo plura ad defendēdum Monlucium attulisti, eò magis omni ex parte defensionem Zachariæ confirmaris. Tu tamen nos istam defensionem Monlucij deprauare & detorquere dicis. At quam obrem? Quia ista oratione ille vsus est non volens,

sed coactus ab aduersarijs. Et si nos, in-
quis, de ea nihil, & ipse Monlucius de
ea nihil, cui & ea res displicebat vehe-
mēter. Quasi de eo agatur, quamobrē
illa defensione sit vsus, ac nō de gene-
re defensionis quærat: quā cū im-
probi & malitiosi sycophantæ esse ap-
pareat, ad eam illū nulla necessitas co-
gere potuit, q̄ nos iterū cōfirmamus.
Hæc scilicet digna erāt, cur hoc quoq;
loco in nos inuectus & in hac & in a-
lijs actionib⁹ nostris nihil nisi furibun-
dæ mentis signa animaduertere te di-
ceres. Quid ergo, si in his nihil dicitur,
aut fit, nisi quod perspicuè sit mentis
sanæ? Necessè est alterutrum, aut te ef-
se insanū, si manifesta non animaduer-
tas: aut improbum, si, cū videas, læ-
dendi & maledicendi causa animad-
uertere te neges. At qui perspicuū est,
omnia nostra hic esse eiusmodi, mini-
meq; in his quidquam à nobis depra-
uari, qui & in quæstione facti de Mon-
lucio fatemur idem, q̄ tu dicis, hūc nō
nisi inuitum ad quæstionem de cæde,
quam causæ suæ valde obstare intelli-
gebat, pertractum esse, & in quæstione
iuris

iuris ita statuimus, cum, qui ut domino suo morē gereret, nō dubitauerit veritatē, innocentiam, religionē oppugnare, nisi atrū hominē & improbum esse non posse. Nos autē amplius dicimus, si quis eum, qui improba oratione & sycophātica sit vsus, ita excusat, ut dicat ideò eū fecisse, quia accusabatur ab alijs, & hanc defensionē ridiculā esse adeò nō videt, ut eos etiā, qui cōtrā sentiant, furere iudicet, ut tu facis, huic certum esse, non tam deesse iudicium in literis, quàm mentem in vita.

Quæ cū ita sint, sine risu legi omnino nō potest, quod subijcis, cū ista signa furibundæ mētis in nobis animaduertes, te æquum quicuisse vsq; in eum diem, cū scribebas, & ponderasse facta vtriusq; partis, ac tandē ferè vtrāq; dannasse, sed magis nostrā. O egregiū ponderatorē factorum alienorū, dignum, cui permittas censuram de doctrina, de religione, de moribus, rebusq; omnibus. Tu, miser, in isto morbo animi, ista tāta deprauatione mentis, quāta maxima in quoquā alio, cui sint dilucida interualla, vix animaduerti potest,

tu ponderasses facta vtriusque partis?
 Et qua trutina vsus esses? verbi Dei? At
 tu hoc non solùm cōtemnis, sed etiā
 sceleratè reiecisti, & domi suauiter ri-
 des. Bonitate iudicij? At hoc iam pri-
 dem morbus ille tuus tibi ademit, cer-
 tē ita infregit, vt omnia in isto cere-
 bro luxata non planè obtusi iudices
 perspiciant. Vnus adeò hic locus de
 signis furibundæ mētis tam acutè abs-
 te animaduersis abundè id cōfirmat.
 Sed planè festiuus es, cū tanquā ho-
 norarius arbiter, licet à neutra parte
 sumptus, te interponis, & sententiam
 fers de vtraque parte, ac te dicis ferè v-
 tranque damnasse, sed mage nostram.
 Mitto quærere, qua ratione damna-
 ris, cui momenta & causæ huius aut il-
 lius partis damnandæ vel absoluendæ
 non magis notæ sunt, quàm quod est
 ignotum maximè. Huius enim rei iu-
 dicium & regula ex verbo Dei sumi-
 tur, quod totū penitus tibi est occlu-
 sum. Illud quæro, vtrum in vtraq; par-
 te veram & Christianam ecclesiam ef-
 fe velis, an in altera tantum, an in neu-
 tra. Si in vtraque, neutram damnare
 te oportet.

te oportuit, cum vtranque damnando vtroque veram Ecclesiam damnas. Si in altera tantum, hanc saltem non oportuit damnare, cum in hac saltem damnas veram Ecclesiam. Si in neutra, non debuisti vtranque partem damnare ferè, sed in totum. Nec debuisti tuam magis damnando alteri te adiungere potius, sed vtranque pariter fugere. Scire enim te oportuerat, tantum in Ecclesia Dei esse salutem, & illud præceptum tenere: Exite de medio eorum, & quod immundum est, ne tetigeritis, 2. Cor. 6. Neque est quod dicas, maluisse te vnam sequi tanquam castigatiorem. Nam si ea Christi Ecclesia non est, nihil castigati, aut recti in ea esse potest, vbi si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt, vt Christus monet. Nisi fortè in vtraque parte Ecclesiam & religionem veram esse statuas, sed mores in vna esse corruptiores, quam in altera, hos autem dicas te sequi. Quod si ita est, ex hoc vno, quale sit iudicium tuum, apparet. Nam vt doctrinam salutis omitteas, quæ tota euersa est in Papatu, quid

N 5 est

est integrū aut sanctum in vita & moribus? vbi lupanaria publica sunt licita, scortationes permissæ, adulteria liberales lusus, vbi choreæ, ebrietates, epulationes, alex etiam laudi ducuntur: vbi blasphemix nominis Dei horrendæ sunt omnium ordinum, ætatum, sexus: vbi vna hæc Catholici nota est, si intrepidè blasphemet, vsque adeò, vt quò quisque contumeliosiora in Dei nomen iurando excogitarit, quoque crebrius id fecerit, eò maior & nobilior atque ingeniosior habeatur? Quod de altera parte sine intolerabili impudentia dicere non potes: in qua hæc damnantur ita, vt aut non audiantur omnino, aut certè non ferantur. Et si pio magistratui coërcere nō licet, certè disciplina in Ecclesiã ex verbo Dei recepta non negliguntur. Quòd si in bello reperiuntur milites nostrarū partiū, qui parū religiosè & piè viuāt, nec moribus dissimiles sint vestris: non est doctrinæ & Euangelij culpa, quo maximè dānantur hi mores. sed nec Ecclesiæ, quæ per id tēpus verbum Dei in delinquentes exercere non

non potest. Quanquã si ageretur solũ
 de moribus, non debuisti ne hac qui-
 dem de causa hãc aut illã partẽ dam-
 nare. Intelligere enim debueras, prius
 quã partes iudicis sumeres, singu-
 los Christianos & pios ex fidei profes-
 sione, itemq; ex moribus esse cogno-
 scendos, iuxta illud: A fructibus eorũ
 cognoscetis eos, Matth. 7. Item: Beati,
 qui audiũt verbum Dei, & illud custo-
 diunt, Lucæ 11. Ecclesiam autem diju-
 dicãdam ex doctrina fidei & verbo, &
 in quocunq; coetu verbum Dei annũ-
 ciabitur, & Deus inuocabitur purẽ, ibi
 esse Ecclesiam, illic ministros verbi ef-
 se audiendos seposito iudicio de mo-
 ribus, iuxta illud Christi: Super cathe-
 dram Moïsis sederunt Scribæ & Phari-
 sæi: Quacũq; dixerint, facite, secundũ
 aut opera illorũ nolite facere, Mat. 23.
 Quod si quis propter singulorũ quo-
 rundam aut etiam omniũ corruptos
 mores se ab eo coetu segreget, erit ex
 numero Donatistarũ, q̄ hãc ipsam cau-
 sam obtendentes à vera Ecclesia olim
 secessionẽ faciebant. Sic breuiter me-
 cum collige: si in Papatu vera Ecclesia
 est,

est, malè vtranque partem damnas. Si non est, malè hanc sequeris, etiam si aliquid ostenditur rectius in ciuium morib⁹. Præcipitur enim, vt fugiamus idola, i. Iohan. 5. & vt caueamus nobis à pseudoprophetis, Matth. cap. 7. Ac profectò ita est, vt nihil veræ Ecclesiæ magis contrariū sit, quàm Papatus, siue doctrinam & religionem spectes, siue mores. Doctrina eiusmodi, quæ aboleat Euangelium: mores publici non tantùm qui feruntur, sed etiã laudantur, corruptissimi, & quorū olim etiam puduit ethnicos. Quapropter cum hanc partem maluisti sequi, res clamat, te iusto iudicio Dei excæcatū pro Dei verbo secutum esse doctrinas dæmoniorū, Sathanam pro Christo, & veritate mendacium, pro luce tenebras. Bene verò quòd addis te eam partem sequi, donec Deus omnipotens misereatur omnium nostrum, & Ecclesiæ suæ filios cogeret in vnum. Frustra petis, vt tui misereatur Deus, nisi per Christum. Nō est autem Christus extra Ecclesiam. Non sunt Christi, nisi oues, quæ vocem eius audiunt: nec au-
ditur

dicitur nisi in Ecclesia per Euangelium.
 Stultius expectas, donec te Deus Ec-
 clesie suæ restituat, quam reijcis, à qua
 etiam sponte defecisti, & quam perse-
 queris tam perditè. En quibus diffi-
 cultatibus te inuolueris, & quàm in
 paucis verbis peccaris multa, dum ti-
 bi de rebus ignotis iudicium arrogas:
 ac præsertim de rebus sacris, in quibus
 non plus intelligis, quàm stipes, nec
 plus vides, quàm talpa: vt omnino ni-
 hilo melior sis in hac causa iudex, quàm
 in tota defensione tua fuisti patronus.
 Tu tamen causam reddis, cur tibi pla-
 ceat vtranq; partem damnare, & neu-
 trã planè sequi: quia, inquis, quo mo-
 do viuimus, sanè dæmonibus vtrique
 propiores sumus. Cur igitur te non
 damnas potius, quàm alios? cur te nõ
 fugis etiam, vt alios, cum te propiorẽ
 dæmonibus esse agnoscas? Ergo profe-
 ctò non erat, cur tu in medio sederes.
 Nam si vbicunque es, ibi dæmonibus
 propior es, & dæmonibus proximos
 fugere oportet: etiam teipsum in isto
 medio loco fugere debuisti. Et nõ in-
 telligis miser, sic nos ipsos & alios, dũ
 malè

malè viuimus, fugere debere, vt hoc ipso nos nō ad idola, sed ad pastorem animarum nostrarum conuertamus, vt qui prius perieramus, ibi inueniamur, vbi & Deo honorem & cultū debitum præstemus. Sed tibi placet illud Phocyllidis: *ἄλλὰ μέσοισι μ' ἄριστα, μέγα δέλω ἐν πόλει εἶναι.* Hic ego rurtum te interrogo, medium illud vbi esse vis? In Ecclesia Dei, an extra Ecclesiam? Si in Ecclesia, cur tu alteram partem adhuc sequeris, cum sit extra Ecclesiam? Nihil enim longius abest à medio, quàm extremū. Sin extra Ecclesiam est illud medium, quomodo tibi placet in eo consistere, qui prius vtranq; partē idcirco damnaueras, quia abesset longius ab Ecclesia? Huc enim spectat, quòd antè dānata vtraq; parte optas, vt nos Deus cogat in vnum gregem, id est, in vnam Ecclesiam, vbi nos lumine sapientiæ suæ illustret. Deinde quomodo multa in eo medio optima: cū extra Ecclesiā nihil sit, nisi summa miseria & certum exitium? Quòd si nomine medij intelligis eos, qui arma non ferunt, & neutri parti eorum, inter quos
bel-

bellum geritur, sunt additi: est quòd
 cōmoditatem aliquam & tranquillitatem vitæ degendæ in eo sequare. At si de moribus & vita eorū, qui bellum gerunt, agitur, vt agitur, non est, q̄ propter illorū vitā partē vtrāq; fugias, cū te illis nihilo meliorem esse profiteare. Sed nihil minus hic cogitas, quàm religionem & mores: quin potius tu homo intelligens stolidos istos rides, qui ob certas opiniones de religione disceptant inter se: qui si scirent, id totum, propter quod belligerātur, nihil esse, vt tu sapienter cogitas, & verè didicisti, non essent tam insani, vt de rebus nihili tantis odijs tantaq; atrocitate inter se decertarēt. Sed quoniam non intelligunt, insanos illos missos facies, & ages ipse pro tua sapientia, q̄ nosti, teq; ab vtraque parte remouebis stans in medio ciuitatis procul ab omni periculo, ridēs interim suauiter aliorum insanias, ac tibi in futurum cauens. ne quidquam enim sapit sapiens, qui sibi non sapit. Mirum tamen potest videri, quòd cū medium istud, quod dicis, ita tibi placeat: tamē
 sic

sic pro vna parte pugnes, vt alterā nullo vnquam, quamuis infensissimi hostes atrocioribus conuicijs petierint. Sed mirari desinet, qui intelliget tibi medium hætenus placere, quatenus est vtilius. Nunc autem maledica ista præscriptio cum suscipiatur pro Monlucio, & hoc tempore: non suscipitur gratis, ac nec sine magno aliquo fructu vel præsentem, vel sperato. Quare & hoc quoque sapientis, medio isto relicto sese ad alteram hanc partem conuertere.

Hætenus attigisse te ais summa capita libelli Zachariæ, qui vix attigisti quintam partem. Sed fecisti rectè, quòd ea, quæ erant in actione Monlucij de cæde præcipua, tota prætermisisti. Videbas enim cum essent aperta, & certis argumentis tenerentur à Zacharia, à te sine periculo attingi non potuisse. Videri tamen vis consulto fecisse, vt ad ea amplius nihil diceres, quia prius ea dixisses, quæ satis futura essent apud æquos iudices, tamen si scias Zachariæ isti nihil esse posse satis, siue quòd ipse occaluerit ad iracundiam
insã.

insanabilem: siue quòd odio vestri in-
 explebili teneatur: siue quòd qui sibi
 in loquendo satisfacere non potest,
 huic nō possit alius satisfacere. Ergo,
 vt video, in hac quoque parte, itidem
 vt in alijs vna tibi elabendi ratio est,
 in rerum dissimulatione & consuetis
 conuicijs. Sed res ipsa declarabit, quā
 rectè Monucium defenderis, & an sit
 æquum te pro tali actione tua vel pa-
 ctam vel speratam mercedem conse-
 qui, qui illum in reliqua oratione Za-
 chariæ certis vinculis irretitū in me-
 dio periculo deserueris, contentus im-
 postorum more, vt mercedem aufer-
 res, pauca de rebus à causa alienis ve-
 litari, & conuicijs aspergere aduersa-
 riū, vt uidereris ex fide & animo cau-
 sam egisse: cū tu interim causam i-
 psam omiseris. An autem certa ratio-
 ne non egerit, aut finierit Zacharias,
 quod illi obijcis, iudicabunt alij, qui
 illius defensionē legent, non tu. Nam
 cui in oratione nulla vnquā certa ra-
 tio dicendi fuit, sed summa perturba-
 tio & perplexitas, de certa ratione di-
 cendi aut scribēdi iudicare nō potes.

Quanquam si qua hic nō certa ratio,
 non certus ordo dictorum fuit in de-
 fensione Zachariæ, huius rei culpam,
 si qua esset, in Monlucium cōferre o-
 portuit, nō in Zachariam, qui vt Mon-
 lucio respōderet, eius ordinem sequi
 coactus est, vt & nunc sequitur tuum.
 Tu verò quàm certa ratione dicas aut
 scribas, ex hoc ipso loco, in quo ista
 scribis, sciri potest, qui antè transacta
 reuocas atque recoquis, & reuolueris
 eò, vt rursus dicas regē non fuisse au-
 ctorem aut consciū cedis. Omiseras
 enim optimum argumentum, quod
 tibi perire volebas. Quòdnam ergo
 illud est? Quippe, inquis, rex Gallo-
 rum negat se eius cedis auctorem. Re-
 giæ maiestati potius credendū quàm
 humilitati Zachariæ, eodē exemplo,
 quo olim M. Scauro aliquid, quod si-
 bi obijceretur, neganti creditum est.
 Ingeniosè tandem reperisti, quo rem
 de conscientia & auctoritate regis in
 illa cæde expedires, & valde appositè
 exemplum M. Scauri huc accommo-
 dasti. Quasi postulet sibi credi Zacha-
 rias sine alia probatione, aut postulet
 sibi

sibi affirmanti credi potius, quàm regi. Atqui Zacharias id dicit, quod omnes iam norūt, ac nihilominus certis testimonijs probat, vt negari nō possit. Quibus, aut quorum? non dicam omnium, qui in ipsa cæde interfuerūt tum Gallorum, tum exterorum, sed ipsius regis testimonio, publicis huius edictis, huius ipsius publica professione in amplissimo & extraordinario totius Senatus confessu Lutetię publicè exposita & mandata actis publicis. Ex quo iam poterit intelligi, quid tibi iudicij fuerit tunc, cùm ad defensionem huius partis exēplo M. Scauri vsus es. Omitto enim, quòd M. Scauro neganti creditum est, non vt summo viro & principi Senatus Pop. Romani, sed vt viro bono, ac spectatæ integritatis ac fidei: cùm rex iste in ea cæde, de qua quæritur, ter publicis literis in prouincijs missis, toties reperiatur contraria scripsisse. Hoc specto, quod tu ipse esse, M. Scauro neganti creditum esse, quia in eo de quo agebatur, nemo testis erat, cùm videas hic regem suis ipsius edictis, actis, & monumentis

O 2

publi-

publicis de cæde palàm & apertè pro-
 fiteri. Neque tamen pudet te affirma-
 re, hoc à rege negari. Vtoretiam ve-
 strorū in hac re publicis testimonijs.
 Antonij Mureti in ea oratione, quam
 apud Pont. Rom. gratulandi causa de
 hac cæde habuit: item illius Capilla-
 pi Itali, qui de eadem cæde ita scripsit,
 vt summi ingenij summæq; sapientiæ
 laudem in ea cæde regi arrogarit. Sic
 ergo ingeniosum illud argumentum
 tuum aduersus te cōuertitur: Regi in
 hac cæde de se dicenti credendum est.
 Is autem dixit suo consilio suoq; ius-
 su cædem esse patratam. Ergo in eo il-
 li credendum est, non tibi, qui ab illo
 factam negas. Alia argumenta ad hanc
 rem probandam Zacharias non adhi-
 buit. Cur enim in re certa alia incer-
 ta & dubia quæreret? Subijcis tamen
 alia argumenta attigisse Zachariam à
 loco & tempore patratæ cædis: quia
 videlicet Lutetiæ facta sit, & quia in
 nuptijs sororis regis, & in his refutan-
 dis operam consumis. certissimum ar-
 gumentum vecordiæ tuæ, qui oratio-
 nem Zachariæ dilucidè scriptam ita
 acce-

acceperis, quasi illa quæ scripserat de
 Lutetia & nuptijs sororis regis, posu-
 isset tanquam argumenta cædis à re-
 ge perpetrata, cum perspicuū sit lon-
 gè aliter rem habere. Scripseram nõ
 rectè argumentari Monlucium, qui
 ideo diceret, regem cædis auctorem
 non fuisse, quia potuerint Euangelici
 aliàs occidi & alijs locis, neque tamen
 sint occisi. Ideò enim tum non esse oc-
 cisos, quia non æquè cõmodè potue-
 rint propter conditionem locorū &
 temporum. An hoc est regem cædis
 Lutetiæ patratæ facere auctorem? An
 tibi videtur is, qui dicit potuisse Euan-
 gelicos cõmodius à rege Lutetiæ in-
 terfici, quàm alibi, hoc dicere, etiã ibi
 à rege esse interfectos? aut an etiã vi-
 detur posterius ex priore colligi? Ni-
 hil hæc inter se habent commune. fie-
 ri enim potest, vt possit quis alium oc-
 cidere commodè, & nolit, neque occi-
 dat: fieri potest, vt velit, & non possit.
 Eadem de commoditate temporis in-
 telligenda sunt. Quod cum ita sit, li-
 quet, quod dixi, quàm hæc rectè, acce-
 peris pro argumentis, quibus probari

vellem regem cædis fuisse auctorem.
 Interim quod dixi de commoditate
 superioris loci & temporis ad eadem
 patranda, eo nihil est verius. Nusquam
 certum est maiorem facultatem fuisse
 omnes vno in loco habendi, quàm Lu-
 tetiæ: nusquam maiorem commodi-
 tatem res sibi ad eadem necessarias
 parandi, quàm in vrbe opulentissima,
 munitissima, & nostris infensissima.
 Nam quod scribis facilius nostros il-
 lic latere potuisse: rectè diceres, si fuif-
 sent Lutetiæ quâ plurimi, apud quos
 illi potuissent latere: aut si in eas ipsas
 ædes sæuitum nō esset, in quas illis re-
 ceptus datus esset: aut etiam si illis se-
 se subducendi & occultandi fuisset
 potestas: quæ omnia illis Lutetiæ ad-
 empta sunt. Quod ad tempus atti-
 net, quo sceleratius fuit tantum ne-
 fas, & tantâ perfidiam admittere per
 speciem nuptiarum sororis regis, tan-
 tō necesse esset omnibus incredibi-
 lius videri regem aut alios vltos quid-
 quam non dico istiusmodi, sed etiam
 quod esset multō minus cōtra fidem
 eo tempore esse ausuros, quō maior
 occa-

occafio fuit fallendi incautos, & de tanta perfidia ne suspicâtes quidem. Ad hoc quid dicas, quia in oratione tua, æquè vt animus tuus, perturbata deest ad sententiam aliquid, vel potius omnia, intelligere non potui. idcò omitto.

His annectere te ais calumniam Zachariæ, qua Monlucium ita ratiocinantem inducit : Si Theodosius Imperator multos indicta causa contra ius fasque necauit, quid non & regi licuerit idem? Negas enim hoc dixisse aut scripsisse Monlucium, aut etiam ex verbis eius quenquam collecturum, nisi sit Zachariæ similis, impostor & fallax. Videamus ergo, quid vterque scripserit, vt de crimine isto calumniæ & imposturæ iudicetur.

Monlucius pagina decimasexta scripserat, regem ob vnam eam cædem, quæ patrata esset, non debuisse ab aduersarijs crudelem appellari. Nam & Theodosium sex hominum millia in vrbe Theffalonicēsi interfici iussisse ob id solùm, quòd ipsius statuam decicissent, neq; tamen eum ob illam

cædem crudelem habitum fuisse, quæ
 historiæ omnes piæ & humanissimæ
 principem fuisse testatur. Est ergo hoc
 argumentum Monlucij: Non fuit cru-
 delis propter vnâ cædem Theodo-
 sius. Non fuit igitur ne Carolus qui-
 dem. Hactenus Monlucius, cuius argu-
 mentum retuli fideliter, & sine calum-
 nia. Aio eum, qui dicat neutrum in su-
 perioribus cædibus fuisse crudelē, re-
 ipsa hoc dicere, neutrum in illis pepe-
 trandis deliquisse, sed vtrique cædem
 facere licuisse. Nam si à persona Theo-
 dosij & Caroli receditur, ipsum genus
 facti per se est crudele & nefariū. Qua-
 re si in istis non est crudele, id eorum
 persona efficiat, necesse est. Non po-
 test aut personæ conditio id efficere,
 nisi quia his facere licuerit, quod cete-
 ris non licebat, vt quod in alijs crimē
 foret, in his non sit crimen, non sit de-
 nique crudelitas. Proinde qui in his
 personis negauit hæc facta esse crude-
 lia, simul etiam crimina esse negauit.
 Non sunt crimina: licuit igitur admit-
 tere. Dices fortasse & cædem illam in
 Theodosio crudele facinus fuisse, &
 fuisse

fuisse in Carolo, nec alterutri admitte
 re ius fuisse: sed his patratu non ideo
 illos fuisse crudeles: quia ex vno actu
 non contrahatur habitus. hanc enim
 rationem abs te positam video. Hoc
 te fefellit, quod crudelitatem habitum
 esse existimasti, cum sit *δύσμιε*, & vt
 vulgò loquuntur, potentia naturalis.
 Est enim crudelitas procliuuitas animi
 à natura insita ad fundendum sangui
 nem, qua fiat, vt sanguine fuso quis de
 lectetur, aut non magis afficiatur, q̄ si
 quis syluam ceciderit. Vnde & feras e
 tiam crudeles dicimus: in quas tamen
 constat non cadere habitum, & homi
 nes, vt quisque crudele quid admisit,
 appellamus crudeles, etiamsi is vnus
 crudelis actus fuerit: vtpote constitu
 tione animi tunc primùm certò se exe
 rente. Cicero pro Deiot. Crudelis Ca
 stor, ne dicam secleratum & impium,
 qui nepos auum in discrimen capitis
 adduxerit. At quod superius verbis
 Monlucij effici dixi, hoc idem illis cõ
 sequens esse dixit Zacharias. quod si
 rectè dicitur, nulla hic in Zacharia ne
 que calumnia, neque impostura, neq;

fallacia fuisse deprehenditur. Et ideo argumentum Monlucij bene & apposite ille depulit dupliciter: dum primum ostendit in illa cæde nimis crudelem fuisse Theodosium, idque declaratum esse iudicio Ecclesiæ illius temporis. qui tamē id factum postea publica pœnitētia emendauerit: quo fit, vt multò magis Carolus habendus fuerit crudelis. Deinde docuit, et si in ea cæde nullum fuisset Theodosij crimen: tamen exemplum nihil patrocinari Carolo, cuius facinus longè in dissimili causa haberetur.

Postquam tibi visus es præclare refutasse ea, quæ obiecta erant Monlucio, consequens erat, vt aggredereis huius ipsius criminationes aduersus nostros. quam partem ex hoc loco vrgere incipis, eamq; constituis, quantum potes. Et quoniã ita his criminationibus defensionē opposuerat Zacharias, vt initio reprehenderet in Monlucio, q̄ facinus regis, illud antea inauditum facinus repriminatione nostrorum tentaret diluere, cum in factis nostrorum nihil proferri posset nõ modò vltima ex

la ex parte cōferendū, sed etiam quod
 nō iustum & necessariū posset videri:
 & præterea si qua antea tempore belli
 ab vtraq; parte admissa essent, quæcū-
 que essent, pace cōstituta essent dele-
 ta: vtrūq; tibi displicet, & q̄ Zacharias
 non admittit recriminationē, & q̄ di-
 cit, ea quæ antecesserant, pacis consti-
 tutione esse delera. Non mirū, inquis,
 si noxam cuius arguimur, nos purgare
 nō pateris, aut vbi perspicuè purgau-
 mus, purgasse nō cōcedis, cū nec cer-
 torū criminū relatione nos vti æquo
 animo feras. Et verò q̄ noxā, cuius ar-
 guimini, te purgasse non cōcedit iste
 Zacharias, magnā in primis tibi iniu-
 riā facit: quando quidē egregiè & p̄spi-
 cuè regē purgasti, q̄ vna parte illū isti-
 cedis auctore esse negas, alia parte au-
 ctore esse maximè & seriò cōfirmas. Is
 enim publicis edictis p̄fitetur se aucto-
 rē: tu aut̄ illi omnino in hac re creden-
 dū esse cōtendis. De relatione aut̄ cri-
 minū, si quidē verè & iustè qd obijceres,
 ferre possemus. Nūc cū ea q̄ obijcitis,
 ptim à vobis cōficta sint, ptim nō iure
 in crimine ponantur: falsam & iniquā
 cri-

criminationem à nobis nō recipi molestè non feres. Quòd ais Zachariã dicere si qua nostra crimina fuerint, etiam obliuionẽ deleuisse, & exemplo vestro falsum esse ostendis, quia apud vos non deleuerit: dabis veniã, de obliuione Zacharias nihil dixit. Scripsit simpliciter ea quæ præcesserant, superiore pace esse deleta, cum hoc intelligeret re ipsa ac iure esse deleta, non hominum obliuione, & si de obliuione aliquorum sentiret, vestram nō intelligeret. Vos iniuriarum, si quæ nostræ essent in vos, memoriã obliuione deleteretis? vos cõdonaretis iniurias? Nunquam hoc vos facere, aut porrò facturos esse Zacharias diceret. nimiũ vos nouit. Hominum est mitium, & Christianorum obliuisci iniuriarum acceptarũ, easq; ex animo remittere. Vos ad iniurias inferendas, ad innocẽtem sanguinem fundendum assueti nō didicistis eorum, à quibus vos vel leuissimè peti putatis, condonare iniurias: ac longo etiam vsu cædium, perfidiarum, immanitatum barbararum desistis esse homines. Illud quidem certè nobis

nobis cōstat, vos quiduis esse potius,
 quàm Christianos. Itaque quod profi-
 teris vos homines esse, obliuisci illata
 iniusta damna non posse, non fuit, &
 multis verbis nobis probare conare-
 ris. Nimum totos iam quindecim an-
 nos omnibus factis vos tales esse pro-
 bauistis. Non ergo, mihi crede, hoc vn-
 quam diceremus, si qua nostra in vos
 delicta essent, ea apud vos esse delata.
 Hoc dicimus, primum facta Euangeli-
 corū, quæ à vobis criminose illis obji-
 ciuntur, esse eiusmodi, quæ si confer-
 rentur cum vestris, necessaria & iustif-
 sima videri deberent. Deinde vt aliter
 se ea haberent: tamen quicquid antè
 admissum esset in ciuilibus tumulti-
 bus, postquam pax publica esset secu-
 ra, quæ & sanctissimè publico consen-
 su, ac publica fide sancita esset, qua ea
 dem discessum esset ab omnib⁹, si quæ
 fuissent, præcedētium annorum iniu-
 rijs, huiusmodi pacem, si essetis homi-
 nes, à vobis debuisse seruari, vt quæ ver-
 bis delata erāt, re quoq; ipsa essent de-
 lata. Hoc quidem contendimus, nullā
 latebram, nullum colorē perfidiæ ve-
 stræ

Aræ & crudelitati quæri posse ex ijs q̄
 antecessis sēt, qualiacūq; illa fuisse pro
 ponerentur. Hic tua p̄scriptio est, præ
 sentem esse semper vobis facinorū no
 strorum memoriam, nec vllius cōuen
 tionis publicæ vim tantā esse, vt eam
 abolere possit. Hanc vocem libēter ex
 te audiui. Nam prius visus eras oratio
 nem bonorum vafre imitari. Hic sine
 circuitione de vestro ingenio & mo
 ribus, deq; opinione apertē confite
 ris, vobis conuentiones istas & paces,
 quæ dicuntur, inania esse nomina in
 uenta ad terrorē incutiendum homi
 nibus, quasi istis valde teneantur. Vos
 ea nihil curare, omninoque isto metu
 non teneri. Et vetus illud vestrum est,
 fidem non esse seruandam hæreticis.
 At enim nō obliuiscimur nos iusta vi
 nobis inflicta damna. quid mirum, si
 vos non obliuiscamini iniusta, quæ e
 stis p̄pessi? Vbi ergo illa memoria no
 stra dānorum & iniuriarum accepta
 rum pace constituta? Dic, vbi tum vlla
 publicē in alios ciues nostrorum iniu
 ria extiterit? Nos, Deo gratia, iniurias
 condonare didicimus verbo Dei do
 cti,

tti, quo iubemur diligere inimicos
 nostros: quo eodem declaratur, hac le
 ge nos consequi remissionem debito
 rum, si & ipsi alijs debita remittamus.
 Et quoties pax facta est, nostri cesserunt
 libenter de iure suo, ubi opus fuit: & qu
 uis exuti rebus omnibus, tamē diligē
 ter cauerunt, ne quid aduersus cōditio
 nes pacis cōmitterent. Existere potue
 runt inter aliquos aliquę dissensiones
 & iniurię. sed & hæ priuatę fuerunt, &
 paucorū, quas nullę ecclesię nostrorū
 nō valde im̄parant. Horū facta Euan
 geli; veritati & ecclesię Dei fraudi esse
 nō debēt. neq; enim qucunq; religionē
 p̄fiterur, hi sunt pii; nec quisquis se dicit
 ex ecclesia, is est ex ecclesia. Multi fue
 runt oīb⁹ ætatib⁹, & nunc sunt, & erūt
 postea, in quos illud Ioān. cōuenit: E
 nobis egressi sunt, sed nō erant ex no
 bis, 1. Io. 2. Quod autē dicit nos nō ob
 liuisci damna vi iusta inflicta: scimus
 quid hic iustum voces. Iustā vim dicit,
 quę infertur Euangelio & Christo, &
 vt tu loqueris postea, quę infertur ijs,
 qui religionem istam introducunt,
 quam tu cōtumeliosē nouam vocas.
 Iustam

Iustam vim, quæ affertur ijs, qui petiti vobis ad quamuis libidinem vestram iugulum non præbent: qui vim iniustam licita vi & necessaria propulsant. At vos, si qua à nobis damna sunt, ea iniusta estis perpeffi: quia scilicet semper vobis licuit in istos hæreticos quoduis statuere, his vim facere, hos expilare, spoliare bonis, vitam etiam his adimere, cum libuit. Ab illis autem aduersus vim vestram, Christianorum nimirum & Catholicorum Romanorum omnis est iniusta defensio.

Sed tamen criminationes tuas audiamus. Prima est eadem, quæ in defensione Monlucij, de facto reginæ Nauarræ, & Comitis Mongomerij, qui per reginam in Bearnensi agro imperabat. Is iussu reginæ nobiles quosdam bello captos indicta causa per cruciatum & ad contumeliam necari iussit. Quid sit per cruciatum, non intelligo, nisi hoc sentis, prius cruciatos tormentis, deinde necatos. Quod si sentis, ipse te refutas, qui paulò post scribis submitis interfectores decumbentes in lecto fuisse interfectos: quod fit sine cruciatu.

ciatu. Ne illud quidem tibi constat, quod
 dicis ad contumeliam. Necatur enim
 ad contumeliam, qui ludibrio palam
 expositi necatur: quod hic factum non
 fuisse ipse confiteris: ut qui dicas non
 esse in cubiculo interfectos fuisse. Sed
 quia videbatur ista tibi ad pleniorum
 orationem & amplificationem face-
 re, idcirco sine iudicio orationi tuæ
 inseruisti. Demus tamen hoc suauita-
 ti & numerositati orationis tuæ. de re
 videamus. Accusatur factum reginæ
 Nauarræ, & Mongomerij, quod hic iussu
 reginæ captiuos nobiles circiter ad
 sex numero occidendos curarit. Aut
 hoc accusatur quod sint occisi, qui non
 debuerunt, aut accusatur genus & cru-
 delitas necis. Crudelitatem quidem
 Monlucius hic obiecit, sed tu satis eo
 crimine Mongomerium liberas, qui
 dicas summissis ab eo intersectoribus
 decumbentes esse occisos. Nam quo
 leuiore genere mortis necari possent,
 quos tollere constituisses, ubi statim
 & velut non sentientes interficiantur?
 Sive autem hoc, sive alio modo occisi
 sunt, iure fuisse occisos dicimus, tribus

de causis. Primùm quia hostes fuerunt tunc capti, cùm infestissima & maximè cruenta aduersus Euangelicos & reginā arma ferrent. Deinde quia certa lege in deditioem recepti, quæ lex secuta non est. Postremò quia reginæ subditi fuerunt, aduersus eam omnia hostilia, & in ipsius ditione exercentes, proinde & rei læsæ reginæ maiestatis. Hostes constat fuisse, & eos qui bello capti sint, cùm maximè infesta arma gererent. Nam cùm essent hi cum Tarridio, qui tum Nauarrenum obsidebat, audito Mongomerij inopinato aduētū, obsidione soluta vnà cum Tarridio fuga sibi consulentes in oppidum vicinum se receperant, vbi à Mongomerio eos persequente è vestigio obsessi, paucis post horis capto oppido in victoris manus venerunt. Hic verū est, quod Monlucius pag. 17. scripsit, & fide data, & more militum esse deditos: sed id quod erat in hac re præcipuum, siue callidè, siue quod ignoraret, omisit: legem nimirum, qua sunt dediti, quæ non extitit. Res autem sic habet: cum Pali, quæ vrbs primaria est

Bear-

Bearnorum, paulò ante eam victoriã
 Mongomerij, quam dixi, circiter decẽ
 ministri verbi Dei captiui detenti es-
 sent, de sex iam supplicium sumptum
 erat à Peireo præfecto regio. restabant
 quatuor, in quibus erat Viretus, egre-
 gius ille & fidelis seruus Dei. Hi serua-
 bantur ad supplicium aliquod solen-
 ne: cùm illis quotidie mortem expe-
 ctantibus commodum accidit, vt ami-
 ci captiuorum illorum nobilium, de
 quibus sermo est, Palum mitteret, qui
 obtestarentur præfectum, vt si eos sal-
 uos vellet, mitteret continuò ad eos
 ministros omnes, quos apud se habe-
 bat. Nam hac lege, vt ministri omnes
 restituerentur, nobiles in deditioem
 accepti esse nunciabantur. Sed nec mis-
 si sunt à præfecto, qui supererant, quia
 per hos sibi cauere constituerat præfe-
 ctus, si quis casus incidisset: nec ij qui
 iam erant sublatis, mitti poterant. De
 quibus sublatis cùm cognouisset Mon-
 gomerius, iratus decreuit, quæ in mi-
 nistros pro libidine hostes constituis-
 sent, eadẽ statuere aduersus captiuos,
 vt reliqui exemplo moniti abstinerent

ab eiusmodi iniurijs. & verò ita futu-
 rum esse, si omnes illi ministri, nomi-
 ne & numero designati restituti non
 essent, nominatim in deditiois lege
 comprehensum erat. Accedebat eò,
 quòd regina Nauarræ, cum illos nobi-
 les captos esse accepisset, quorum ple-
 rique multis & ingentibus beneficijs
 ab ea affecti essent, indignè ferēs se ho-
 stiliter ab illis petitam & diuexatam,
 quos præcipuè adiutores & defenso-
 res experiri debuerat, cum essent sub-
 diti omnes, vno Goas excepto, de illis
 vt de hostibus, & criminis læsæ maie-
 statis reis pœnas exigi voluerat. Nam
 quòd subditos reginæ fuisse neges, ni-
 hil est. Omnes enim vno illo, quem di-
 xi, excepto, Bearnenses fuisse bonis &
 certis auctoribus accepimus, & ma-
 gna ex parte reginæ beneficiarios. Nec
 ad rem pertinet, quòd iidem & regis
 Gallie beneficiarij fuerint. Nihil enim
 vetat ambobus fuisse beneficijs obstri-
 ctos. Zacharias tertiam ex his causis
 vt minimè dubiam complexus est. in
 qua operæpretium est spectare, quid
 reprehendas. Nempe sycophantarum
 & ra-

& rabularum more omissis veris parti-
 bus, quibus nitebatur ea defensio, v-
 num illud sumpsisti, quod dictum e-
 rat captiuos subiectos fuisse reginæ, vt
 quasi hoc positum esset pro causa cæ-
 dis, id deinde exagitares, & inde ex-
 trueres, quas velles cōsecutiones. Sed
 nihil agis. non dicimus illos ideo iure
 esse occisos, quia fuerint subiecti, sed
 quia subditi cū essent, arma tulissent
 aduersus reginam, in quo inesset læsæ
 maiestatis crimen tanto grauius, quā-
 to hi, qui læsissent, pluribus & maiori-
 bus beneficijs à regina essent ornati.
 Quid est verò in hac defensione, q̄ ri-
 bi prodesse possit ad nefarij sceleris re-
 gij & vestri defensionē? Lutetiæ quoq;
 non nisi subditi regis sunt necati, in-
 quis. Non quæritur, an qui occisi sunt,
 subditi fuerint, necne. neque enim cri-
 men est esse subditum, aut licet regi
 subditos, cū libet, occidere: sed an
 quidquam admiserint, quamobrem
 ita debuerint necari. Ac videamus, q̄
 rectè ista facta compares. Regina Na-
 uarræ de subditis supplicium sumi vo-
 luit: non tamen vt subditis, sed vt de

hostibus, ut bello captis sine ulla dedi-
 tionis lege, quæ illis posset patrocina-
 ri, ut de maiestatis turpiter violata
 reis. Rex necandos curauit subditos
 quidem, sed amicos, non hostes. Ami-
 cos cum dico, eos dico, quos rex ipse
 ita nominabat, & quibus pro fidelibus
 ministris cupidè & penè ambitiosè,
 uti præ se ferebat, utebatur. Occidit
 non bello captos, sed quos sancita pa-
 ce etiam in fidem & tutelam suam re-
 ceperat. Occidit non perduellionis
 reos, sed eos qui omnibus publicis de-
 pace conventionibus & edictis nomi-
 natim eo crimine liberati erant. Si di-
 cas regem aliter locutum, ac sentiebat:
 tamen publicæ paci & regis edictis,
 quæ seria fuisse constat, plus fidei, opi-
 nor, habebitur, quàm tuis atque vllis
 priuatorum sermonibus. In quo etiã
 utar tua ipsius ratione: Rex hoc dixit.
 Regis igitur maiestati potius creden-
 dum est, quàm tuæ humilitati. Quid
 vis amplius? Regina Nauarræ hostes
 pessimè de se meritos, bello captos te-
 pore belli occidit sex, aut ad summũ
 septem. Regis auctoritate vno tempo-
 re

re triginta hominum millia non hostium, non armatorum tempore pacis necata sunt. En vt rectè res quàm similimas cõparaueris inter se: en causas, cur ex superiore facto, & similibus nonnullis nostros rege isto crudeliores esse postea concluderes. Ad religionem occisorum te conuertis, vt hinc quoque facinoris regij, ex superioris facti comparatione tibi constituas defensionem. Imò, inquis, istorum quos lugere nos ais, mors iustior est, quàm eorum, quos regina Nauarræ ita, vt tu præ scriptum est, occidit. Hi enim religionem à maioribus per manus traditam vindicabant, illi nouam introducebāt. Siquidem religionis causa, aut illi nobiles à regina Nauarræ occisi essent, aut nostri superiore illa eade à vobis: rectè quæreretur, vtri eo nomine occisi essent iustius, illi ne qui veterem tueri videbātur, an ij, quos ais introducere nouam. Nunc autem nobiles illos docuimus vt hostes & perduellionis reos à regina cæsos esse: nostri autem ideo occisi, vel quia aduersus regem conspirauerāt, vt rex in edictis

causatus est: vel quia aduersarij iniu-
 riarum impatientes proruperunt ad
 hanc ultionē, vt Monlucius: vel quia
 Catholici nostrorum insolentiam fer-
 re non poterant, vt tu scripsisti. tot e-
 nim rationes à vobis redduntur. Nul-
 li autem apertè dicere ausi sunt occi-
 sos esse propter religionem, ne con-
 tra publicam pacē in eo fieri aliquid
 videretur. Quid ergo attinebat, cum
 de alijs causis cædis ageretur, quàm re-
 ligione, te de religione cæsorū men-
 tionem facere, & horum religionem
 cum illorum religione conferre? Sed
 Catholicis tuis scribebas. ideo hunc
 locum attingere te oportuit, quē scie-
 bas esse plausibilem: vt vna opera &
 assensionem apud illos mereretur ora-
 tio tua, & te iam certò catholicum fa-
 ctum declarando, non solùm te ab il-
 la prioris professionis tuæ infamia exi-
 meres, sed etiam officium & sanctimo-
 niam tuā illis omnibus approbares.
 Vestri scilicet religionem à maiorib⁹
 traditam vindicabant. Rectè, si paga-
 nos, si Iudæos, si Satanam mendacij pa-
 trem maiores dicis. Sin intelligis Pro-
 phe-

phetas, Christum, Apostolos, & qui sanam illorum doctrinam secuti sunt: non possunt iudici vindicasse maiorum religionem, qui doctrinam Prophetarum & Apostolorum, & eius cultores igni & ferro persequebantur. Nostri autem novam introducebant religionem: quia Euangelium nova est religio. Si à Deo religio non accipitur, sed ab hominibus: etiam quæ sunt inanissimæ, erunt optimæ, si in his vetustatē spectemus. Nulla vetustior Paganica, quæ iam inde ab initio mundi à Caino in orbem terrarum inuenta est. Christus autem quot millibus annorum postea homo factus, voluntatem patris nobis patefecit. Sit ergo Paganica vera religio, quia vetustissima: Christiana autem nova superstitio. quo nomine etiam olim traducebatur à Romanis. Quod longè secus est. siquidē ea sola religio est, quæ est à Deo, qui se non iudicijs nostris & stulta sapientia coli vult, sed ex sua, & ea quam nobis verbo suo declarat. Frustra, inquit Christus, me colunt mandatis hominum, Matth. 15. Ab hoc igitur veræ reli-

gionis initium petere oportet. Hoc si fit, Euāgelium vera est religio, etiam si hodie primūm exoriatur: quia est à Deo, qui se nobis exhibuit in filio. Eadem vetustissima est & æterna religio, non noua: quia is à quo profecta est, antiquissimus est dierum, vt scriptura loquitur, & æternus. Ceteræ religiones, quæ dicuntur, nō modò non sunt vetustiores, sed ne religiones quidē sunt.

Altera criminatio tua est, quòd pacem ne nos quidem seruauimus, qui nos dicimus religiosè cōseruasse. quādo quidem statim à pace Aureliæ, Valentie, & alijs multis locis pleraq; templa prouimus, multos neci dedimus. Ad hanc criminationem hoc breuiter tibi responsum habe. Fatemur pleraque templa idolorum tempore belli à nostris subuersa esse. Pace autem constituta factum esse ab ijs, qui constitutam scire possent, constanter negamus. Idemq; de ijs, quos occisos ducis, respondeo, quod quidem factum à ducibus belli, aut vllis viris honestis probaretur. Adijcerem negationis probationem, si natura rei concederet.

ret. Sed quoniã factum negantis nulla per rerum naturam probatio est, ignoscas, si à te, qui dicis, licet viro bono & veraci, probationẽ huius criminatio- nis exigemus. Eadem fide de præfecto Delphinatus scribis, hunc primis tumultibus Valentiaẽ à nostris occisum esse, nondum exorto bello. In quo tamen, si quid peccatum esset, facti culpam sustineret bonus ille Adressæus, auctor cordis: cuius vita & facta nunquã nostris probari potuerunt. & ideo à nostris deficere coactus est. dignissimus, qui ad vos transfret.

Tertia criminatio est: certè ea quã tertio loco probas, etsi secundo loco ante superiorem proponere videris: quòd si quos qua vi, qua fraude necavimus, si quid ausi sumus hostile, hoc nos belli iure fecisse dicimus. Et qua fronte, inquis, ius belli obtẽdere possumus, non solùm destituti auctoritate principis, sed etiam contra principem ipsum arma gerentes: in eamque sententiam multa amplificandi causa atrociter nobis obijcis. Et meritò, si ius belli nostris non fuit. Sin fuit optimum:

mū: ita res geri oportuit, vt gestæ sunt
 à nostris ipsaq; illa, quæ tam acerba, &
 graua verbis facere conatus es, non
 tantum iusta, sed etiam lenissima &
 mollissima fuisse reperiētur. Ac de iu-
 re belli vt intelligatur quod dixi, me-
 minisse oportet eius legis, quæ anno
 1 5 6 1 omnium ordinum rite, & ve-
 teri more coactorum (quos Galli sta-
 tus vocant) sententijs, & regis ipsius
 auctoritate atque edicto sancita est,
 quæ ex illo edicto Ianuarij dici cœ-
 pit, & deinceps in omnibus edictis
 postea secutis, quoties eius legis fit
 mentio, inque omniū scriptis ad eam
 legem pertinentibus ita appellata est.
 Ea lege aduersus præsentis illius tem-
 poris motus, & eos qui ex dissensionibus
 in religione imminere videbātur
 ei regno, cautum erat de statu religio-
 nis in hanc sententiā, vt omnibus, qui
 reformatam religionem amplectebā-
 tur in Gallia, potestas esset eam vbiq;
 locorum liberè profitendi, eaq; exer-
 cendi, quæ ad auditionē verbi, ad Dei
 cultum & disciplinam morum perti-
 nentia, forma eius religionis ab Eccle-
 sijs

sijs Gallicis publicè edita, & regi exhibita comprehensa erant. Lex vt publico & solenni ordinum consensu bene & vtiliter constituta erat: ita nisi eorundem ordinum ritè coëuntium contrario consensu abrogari non potuit, vt sunt leges publicę regni Gallię. Aduersus eiusmodi legem nulli quidquã licet, ne regi quidem ipsi. Quòd si rex contrà facere aggressus, cum à subditisea qua decet reuerentia semel atq; iterum precibus esset interpellatus, ne faceret, nihilominus pergat p̄ imperio contrà facere, & iustas preces subditorum respuat: ius est magistratibus, & ijs, qui officarij regni vocantur, aduersus iniustã vim bonas leges & statum regni tueri, in eamq; rem armantur illi per leges publicas, sed ij præcipuè qui inter magistratus & p̄ces Gallię primum locum tenent, quales sunt principes regij sanguinis. Quam ob causam lex superior multis diuturna fore videbatur. Sed cum esset regno Satanae aduersaria constituta, diu stare non potuit, quin pereius ministros, quoad liceret, conuelleretur.

retur. Itaq; statim extiterunt in Gallia,
 qui arma aduersus illam caperent, at-
 que aperta & infesta vi irruerent in cœ-
 tus pios Deum publicè inuocantes, &
 ex composito eos, qui in vrbibus verã
 religionem profitebãtur, prima qua-
 que occasione arrepta sine delectu
 trucidarēt. Cuius rei initium factum
 est à Guisianis ipso duce Guisio, copi-
 as in eam rem instructas ducente eo-
 dem anno. Qui cùm audisset Vassiaci
 concionem nostrorū publicè haberi
 in templo, qua hora habebatur, cò ve-
 nit cum armatis, ibiq; admirabili con-
 fidentia, & antehac inaudita crudeli-
 tate, cum irrupissent armati in ædem,
 vbi erat concio, miseros subditos re-
 gis qui illic erant, viros cum mulieri-
 bus, iuuenes, senes, omnes quotcunq;
 potuerūt, promiscuè ceciderūt. Qua
 strage edita, Lutetiam venerunt Gui-
 siani iisdem armis instructi, & nouis
 quotidie sese adiungentibus, vbi &
 easdem strages in pios, qui ibi erant,
 ediderunt. Cùmq; armis essent supe-
 riores, venerunt & ipsi in aulam regis,
 vbi armis freti facilè occuparunt regē
 ado-

adolescentulum, & in suam potestatem
 redegerunt. Captum non difficile fuit
 quouis ducere, eiq; persuadere quid-
 libet, hominibus praesertim ad eiusmodi
 artificia exercitatis: qualem fuisse
 Cardinalem Lotaringum omnes sci-
 unt. Rebus indignissime ita motis ab
 ijs, qui neque reges erant, neque regi-
 curatores dati: aduersus eam indigni-
 tatem & nouitatem armorum, arma
 sumpserunt ij, ad quos praecipue regni
 cura & administratio in huiusmodi
 casibus pertinebat, princeps Condæus,
 Admiralius, & ne sim longior, innume-
 ri ex prima nobilitate viri, Comites,
 Barones, nobiles primarij. non solum
 tunc hortate, sed etiam obnixè instan-
 te & obtestate regina matre, cui tum
 regni administrationem ordines de-
 tulerant. Eaq; arma ipso etiam aucto-
 re Monlucio ita iuste capta sunt, vt il-
 le primis tumultibus incuntibus scri-
 ptum emisit in vulgus, quo eorum
 armorum æquitas & defensio conti-
 nebatur. quod si tu negabis, ipse tamē
 non negabit. Extat enim publicè, & vi-
 uunt adhuc innumeri testes, qui illū
 aucto-

auctorem esse sciunt. Quod eius scri-
 ptum quamuis tale nullum esset, ni-
 hilo tamen minus iuste armis propu-
 gnarunt bonas leges, & salutem patriæ
 ij, quos arma ad eam rem cepisse dixi-
 mus. quibus continuo se adiunxerant
 ij, qui eandem religionem profiteban-
 tur, vt qui statuerent etiam salutem &
 incolumitatem suam priuatim defen-
 sione superioris legis contineri. Neq;
 verò alia causa nostris fuit belli geren-
 di, aut secundis aut tertijs tumultibus,
 cum semper id se agere aduersarij o-
 stenderent, vt religio vera tota Gallia
 pelleretur. Neque huius animi longè
 petenda probatio est. Fidem facient
 omnia edicta, quibus pax & primis, &
 secundis, & tertijs tumultibus consti-
 tuta & promulgata est. Ex quibus om-
 nibus in conditionibus pacis præci-
 puam ac penè solam rationem religio-
 nis à nostris habitam fuisse constat:
 cum de ea præcipuè & ante omnia in
 ijs conditionibus cautum sit. Quibus
 intellectis ad ea, de quibus me inter-
 rogas, iam respondebo. Quæris, quo-
 modo nostris potuerit ius esse belli
 geren-

gerendi destitutis auctoritate principis. Respondeo, satis ijs ius esse, qui amantur auctoritate legum regni. Ab his pendet auctoritas principis: & qui obstinatè aduersus eas facit, nulla legum auctoritate, nullis subditorum admonitionibus & postulationibus motus, is hætenus non est princeps: licet quæ ijs quibus regni cura legibus commissa est, aduersus hūc arma ferre, quò leges illæ publicæ omnium ordinum suam vim & auctoritatem teneant, donec si videantur mutandæ, publico & cōtrario imperio abrogentur. Quantò magis aduersus iniustos regis possessores, & perturbatores regni idem facere conceditur? Quæris, quomodo sit ius belli ijs, qui contra principem ipsum arma gerunt. Jam supra respondi ius belli gerendi positū esse in auctoritate legum regni, quæ si subditis concedunt bellū gerere, hinc satis est iuris ad bellum gerendum, etiam si suscipiatur aduersus principē. Quod hic factum esse contendimus, etiam de tuenda lege omnium ordinū suffragijs lata, præsertim ad religionē

Q perti-

pertinente ageretur, & hi arma ferret, qui conditione personæ suæ, & muneris necessitate ad eam prouinciam & curam legibus publicis vocarentur. Quòd si verè iudicandum est, nunquã superiorib⁹ bellis nostri aduersus regem arma tulerunt, sed maximè pro rege. Id enim egerunt, vt ab eorum potestate, à quibus tenebatur, cum vindicarent, vt eiectis publicæ pacis perturbatoribus, sua facies & tranquillitas regno restitueretur. quod erat maximè ex vsu & dignitate regis. Idq; exitus cuiusque belli, & pax secuta facile probauit: cum nulla pax sit facta, quin rex approbantibus ijs, quorum auctoritate pax fiebat, bellum suo nomine, & pro vtilitate publica gestum esse nominatim agnouerit, idq; ratum habuerit. Quæris, an ius belli vocem desciscere à regis imperio. Inepta quæstio. Non enim ex eo, quod disceditur ab imperio regis, ius belli nascitur: sed si cui belli ius est aduersus regem, huic ius est obsistere regis imperio: cum non geratur bellum, nisi aduersus eos, quibus in eo, in quo geritur, non paremus.

mus. Quæres igitur potius hoc modo, an sit ius belli aduersus regē. quo constituto, alterum de eius imperio esset absolutū: aut hoc modo, an ius putē desciscere à regis imperio. tum de utroque tibi responderem idem q̄ supra, etiam aduersus regem ius esse belli, eodemque iure licere obsistere eius imperio, si se efferat aduersus leges publicas regni. Ibi enim iisdem legibus publicis licere ijs, quorū ad munus Reipub. cura pertinet, prohibere iniuriam, & incolumitati patrię ac regni aduersus iniustam vim, & iniusta arma consulere. Quæris, an sit ius belli regi bellum inferre. Respondeo, nō inferūt bellum, qui iniustam vim bello illatā, bello propulsant, quod semper à nostris in superioribus bellis factum est. Sed etsi bellum inferretur, tamen cui belli suscipiendi ius est, is potest etiam inferre. Cetera, de quibus interrogas, apertè iure belli continentur: hostes obsidere, possessiones eorū inuadere, pecunias hostium occupare, easq; transferre ad bellum gerendum, hostes in bello occidere, deniq;

Q 2 omnia

omnia facere, quæ hostilia nominantur. In quibus si quæ calamitates & miseriæ cernuntur, ut sunt innumera & maximæ, hæ illis accepto ferendæ sunt, qui causam belli dedere, non illis, qui necessitate muneris coacti pro salute patriæ arma ceperunt. Quæris, an sit ius belli præfectum regis interimere Montegondrianum. Respondeo, si quem alium hostem ius fuit occidere, cum ius fuit, qui fuit bonorū acerrimus hostis, idemq; eorum opera constitutus, à quibus belli fax nata erat. Quæris, an sit ius belli post occisos DCCC in agro Segusianorum, sedato iam primo militum impetu captivos splendidiores è turri præcipites dare. Respondeo, quod ad DCCC illos attinet, hostes prælio commisso iure cæfos, qui eò confluerant, ut nostros opprimerent. Captivos autem è turri præcipites datos, crudele & inhumanum videri. Sed hoc Adressæus fecit, qui vester est: cuius factum neminem unquã audiui, qui non vehementer improbaret. Quanquam si recriminatione liberet uti, multò à vobis turpiora

piora & foediora exempla extiterunt. Nam in tertijs tumultibus Monlucius huius frater Rabastano capto, cum tres ex præcipuis, quibus erat infensus, in potestatem eius vnà cum vxoribus eorum venissent, is exemplo flagitij inaudito honestissimas matronas in loco publico palàm omnium militum libidines admittere coëgit in spectantibus maritis, nec eo spectaculo expletus, adiecit illud alterum, vt maritos inde abreptos è turri præcipites daret. Sed mihi satis est de nostris dicere. Quæris, an sit ius belli Nemausi ciues tota vita innocentes viuos defodere in altam specum. Respondeo, mihi non videri. Sed & hoc esse factum negamus. Habes, de iure belli quid tibi respondeam. quòd ius nullum fuisset, nisi vos nefario bello legibus publicis Galliæ, sed maximæ religioni veræ illato coëgissetis inuitos ad eam defensionem sese armare, quæ sine summo scelere ac propè sacrilegio omitti nõ poterat.

His rebus tam benè & certò constitutis, restabat tibi conclusio illa, opi-

nor, quam ex præcedētibus efficeret
 nos videlicet factis nostris nationem
 Gallorum, quæ humanitate exuperā-
 bat omnes, barbaram & efferam reddi-
 disse. Optandum tibi fuit in ista per-
 uerſitate mentis, vt si verè & benè di-
 cere nō posses, saltem diceres aliquid
 probabiliter, ne in manifestissimis ca-
 lumnijs nō tam improbus quàm stul-
 tus esse viderere. In eo valde te impro-
 bum esse oportuit, quòd quæ certò ſci-
 res facta esse tuorum catholicorum,
 ea summa confidentia, & pari constan-
 tia maledicendi in innocentes contu-
 leris, quos non minus ſcires illa, quæ
 ijs obijcis, omnibus temporibus à ve-
 stris esse perpeſſos. Sed hoc loco stulti-
 tia improbitatem longè superauit, quæ
 de his sine alia fide, ita dixisti, quali
 qui tua ista lecturi essent, qua es aucto-
 ritate, ea accepturi essent pro oracu-
 lis: neque vides te de rebus omnium,
 quæ vnquam fuerunt, notissimis dice-
 re, in quibus omnium hominum ſen-
 tentijs vt ineptus & ridiculus nugator
 reijciare, cùm ita scribis, nostros nati-
 onem Gallorum efferam & barbaram
 red.

reddidisse. Hoc enim dicis, eos q̄ Chri-
 sto in Gallia iam olim nomen dede-
 rant, & studebant obedire Euangelio,
 gentem efferam videlicet, & immanē,
 assuetam cædibus pariter vt latroci-
 nijs, eandemque & crudelitate infamem,
 Gallorum nationem, id est, Pa-
 pistas, & bonos Catholicos (nam aliæ
 partes in Gallia non fuerūt) Papistas,
 inquam, illos mansuetos & mites ho-
 mines à sanguine humano natura &
 religione sua abhorrentes, barbaros
 & efferos reddidisse. Ergo aut ante tu-
 multus ciuiles superiorum annorum
 id accidit, aut in ipsis tumultibus, aut
 per ea tempora, quibus pax tumultus
 est consecuta. Si ante tumultus dices,
 omnes te, vt meretriculam effrontem
 despuent: cū & qui tum vixerunt,
 meminerint, & omnes illorum tem-
 porum historiæ vno consensu testen-
 tur, nostros illos tanquam oues occi-
 sioni destinatos totos propè quadra-
 ginta annos iactatos in Gallia religio-
 nis causa, mactatos, exustos, exutos
 bonis, eiectos patria, omnibus deniq;
 sæuitiæ & crudelitatis modis excru-
 cia-

ciatos. quod sicubi aliquibus cōsiste-
 re contigisset, eos præ metu hostiū re-
 ligionis ita latuisse, vt vix ægrè miserā
 vitam traherent. Atque hæc illis à qui
 bus contingebant? nega contigisse à
 bonis illis & mitibus Catholicis. Ita
 hoc tempore euenerit scilicet, vt no-
 stri calamitatibus suis, squallore, pati-
 entia, & constantia Christiana barba-
 ros & efferos reddiderint eos, à quib⁹
 mortes illas, exilia, dāna perpetiebantur.
 Quod perinde est, ac si quis dice-
 ret, ouium greges diu luporum præde
 & vastationi expositos, quia ouium san-
 delitatis causam præstitisse. An verò
 in ipsis tumultibus nostri vestros illos
 efferos reddiderunt? nempe eò dicis,
 quia à nobis tumultus moti sunt, nō
 à vobis: quia nostra est illa crudelitas,
 nō vestra, quam Vassiaci primū, de-
 inde Lutetiæ exercuistis: quibus ex lo-
 cis infesta nostris arma sustulistis, tan-
 to omnibus iniecto terrore, vt de se
 omnes iam tum actum putarēt. quod
 & factum esset, nisi Deus per eos, quos
 furoribus vestris opposuerat, subue-
 nisset.

nisset. Bello autem semel iuste suscepto, nostri hostilia ut in bello aduersus hostes faciendo, non illos feros & barbaros reddiderunt: sed aduersus illorum feritatem & immanitatem plus quam barbaram sese omnibus modis bello conuenientibus, ut licuit, munierunt. non tantum ut propulsarent vim presentem, sed etiam, ut sit in bello, ut hostes publicos si possent, vincerent, & penitus debellarerent. quid enim propositum est certantibus, nisi victoria? Scio feris illis bestiis, quae tot annos impunè pro libidine saeuierant in nostros, valde mirum & praeter omnem expectationem euenisse, cum arma à nostris capi animaduenterunt, cumque etiam senserunt tam fortiter sibi resisti ab illis, & multa ac magna damna passi sunt: non nego, quòd haec minus expectata fuerunt, eò magis feras illas esse irritatas, multoque quam unquam antea ferociores & crudeliores esse factas. Hic enim duae res ad exacuendam feritatem concurrebant: & quòd dolerent sibi praedam eripi, quam antea semper, quoties libuit, paratam habuerunt:

& quòd ab ijs, quos prius persequébā-
 tur, iam vltro se impeti viderēt, quod
 omnium indignissimū putabant. Sed
 huius feritatis, & crudelitatis causa nō
 est in ijs qui propullant, sed in ijs qui
 inferūt iniuriam. Restant illa tēpora,
 quibus ad aliquod spatium pace facta
 tumultus conquiescere visi sunt. Dic
 ergo nobis, homo verissime, quibus
 in vrbibus, oppidis, aut locis per ea tē-
 pora nostrorum irruptiones in Papi-
 stas auditæ sunt? vbi nostri seditione
 excitata ædes aliorum expilarunt, mi-
 seram plebē sine delectu trucidarunt?
 Vbi struxerunt redeuntibus ex cōcio-
 ne Papistis insidias, & interceptos in-
 teremerunt? Vbi ædes in quibus pub-
 lica concio habebatur, igne summis-
 so succenderunt, vt qui intus erant,
 horrendo & miserabili spectaculo vi-
 ui cremarentur: si qui fuga sibi consu-
 lere vellent, hi à militibus ad eam rem
 dispositis prohiberentur bombardis,
 egressi confoderentur? Atqui hæc om-
 nia vestra sunt, Catholice bone, non
 vno in loco, sed innumeris: nō semel,
 sed sæpius perpetrata. Nec tu antè in-
 ficiari

ficiari ausus es. Tantum eorum crimī-
 num infamiam ita minūere es cona-
 tus, vt diceres à Rege in ea loca, in qui-
 bus ea scelera admissa erant, missos es-
 se eos, qui in auctores inquirerent.
 Quod ad minuendam auctorum cru-
 delitatem & barbariē nihil pertinet.
 Sed quid illa leuiora attingo? Reuo-
 co te ad illam stragem & lanienam ve-
 stram patratā tota Gallia anno 1572,
 & quæro, an vlla vnquam barbaries, &
 feritas extiterit tanta, quæ cum imma-
 nitate horreni illius facinoris sit cō-
 paranda. Vos enim in summa pace,
 qualis certè cōstituta erat, quotquot
 tota Gallia religionem nostram profi-
 tebantur, ad quos modò crudelitas
 vestra peruenire potuit, eodem penè
 tempore omnes sine discrimine neca-
 uistis, aut ita seruastis, vt præstaret mo-
 ri millies. tantaque fuit strages occiso-
 rū à vobis passim edita, vt constet pau-
 cis diebus plus quàm triginta homi-
 num millia esse interfecta. Irritati for-
 tasse & nouis iniurijs affecti à nostris,
 impatientes iræ in hæc exempla mise-
 ra & infelicia prolapsi estis. Sed vbi tā-
 dem

dem affecti, aut quibus iniurijs? Nulla
 verò testimonia magis hoc loco no-
 stros omni iniuriarum crimine libe-
 rant, quàm ipsa edicta Regis: in quib⁹
 cùm quærentur aliqua causæ cædis,
 nullam aliam reperire potuit, quàm
 vt diceret Admiralium & eius socios
 in ipsum, in fratrem, Reginam matrē,
 regem Nauarræ conspirasse: tanta va-
 nitate defensionis, vt ipsis etiam Papi-
 stis vehementer commentum displi-
 ceret. Quæ tamen conspiratio vt in
 his fuisset, quos dixi, quid illa ad mise-
 ros ciues, quid ad fœminas, pueros, se-
 nes, qui Lutetiæ interfecti sunt, peri-
 nebat? Mitto eos, qui erant Lutetiæ:
 quid pertinebat ad eos, qui Lugduni,
 Rothomagi, Aureliæ, Tolosæ, & pas-
 sim alibi tam procul sunt occisi? Vt au-
 tem feritatem & crudelitatem vestrâ
 magis spectare liceat, quos occidistis?
 Nulli malum, & de nullo malè cogi-
 tantes, armati inermes, & in lecto de-
 cumbentes, aut carcere antè à vobis
 inclusos. Quo tempore? In tumultu
 fortasse, aut rixa, vbi cōmotis animis
 homines difficile sibi temperant. Im-
 mò

mò cùm summa pax esset, cùm nemo
 nostrorum vel digitum moueret, se-
 datis & meditati animis tantum ne-
 fas admittere, tantū innocentis cruo-
 ris haurire sustinuis-*tis*. Quomodo oc-
 cidistis? alios ferro domi sustulistis, a-
 lios prehenso & in carcerem ductos
 summissis lanijs pecudum more iugu-
 landos curastis tanta immanitate, vt
 miserorum clamor audiretur procul,
 & sanguinis riui inde fluentes specta-
 rentur. Neq; id satis fuit ad crudelita-
 tem: sed insultastis etiā mortuis. Nam
 & cadauera occisorum nudata expo-
 suistis ad spectaculum, & irrisionem,
 & ad pascendos oculos vestros. Dein-
 de, quantum satis visum est, vexata in
 Sequanam, aut Ararim, aut vicina flu-
 mina proiecistis, vt ne terra quidē ac-
 ciperet mortuos. Hęc cùm omnia sint
 vestra, à vobis admissa, nos perpe-
 nos tamen efferatas istas bestias cru-
 delitate horrendas, immanitate om-
 nem barbariem superantes, barbaras
 & efferas reddidimus: nos Galliā infamauimus. Carolus auctor & manda-
 tor sceleris tanti, optimus est, mitissimus,

mus, & clementissimus Princeps. nos
 omnia perpeffi. omniū qui sunt, qui
 fuerunt, qui futuri sunt, improbissimi
 sumus, in tantumque detestandi, in
 quantum nequities & improbitas i-
 pfa: nos exleges, impij, periuri, sacrile-
 gi, fraudum satores, messorisque om-
 nium. Hæc enim tua probra sunt toti-
 dem verbis hoc ipso in loco cõgesta.
 Et te, cum hæc scribis, nihil pudet? nõ
 Dei, non hominum tacita iudicia re-
 uereri? Vna illa cædes vestra, etiam si
 decissent argumenta superiorum tem-
 porum, omnia illa, quæ suprâ dixisti,
 & longè grauiora, atque atrociora, si
 vlla essent grauiora, complectitur. de
 cuius barbarie, feritate, crudelitate,
 immanitate, perfidia nemo vnquã di-
 cet pro dignitate. Et tu etiam illa de-
 fendis? Et cum id facis, solem aspicere
 audes? Nega regem esse auctorem cæ-
 dis quãtumlibet. parum refert, si à vo-
 bis patrata est. Vestra est illa immani-
 tas, vestra barbaries, vestra periuria, ve-
 stræ fraudes nuptijs regijs tectæ, quæ
 Galliam apud omnes exteros infama
 runt. nec mirum, cum earum rerū ma-
 gni-

gnitudo sit tāta, vt sitis ipsi iam apud
 plerosque vestrum execrabiles. Sed tu
 nostra hac nō curas. At te Deum me-
 tuere oportebat. Saltem illud conue-
 niebat te in rebus toti penè orbi iam
 cognitum mendacium tam insigni re-
 fugere, & te existimationis aliquam
 habere rationem. Et habuisses omni-
 no, nisi iustum iudicium Dei tradidis-
 set te in reprobam mentem, vt ruptis
 pietatis & pudoris omnis repagulis
 non iam ageres, aut cogitares ea, quæ
 decent: sed in omnem fœditatem, &
 impietatem vt vitæ, sic orationis libè-
 ter & cupidè te projiceres. Monlucij,
 inquis, quid scripserit Zacharias, plu-
 ma nō interest. generosum pectus nō
 commouetur calumnijs. Vel hac ma-
 ximè de causa illum Zachariæ scripto
 commoueri oportebat. Scripsit enim
 Zacharias verissima, cùm de cæde illa
 nefanda, tum de crudelitate, immani-
 tate, perfidiaque vestra, deque fide &
 veritate & pudore Monlucij in his de-
 fendendis. Quod an ita sit, cùm res i-
 psa per se, & defensio Zachariæ prior,
 tum hac maximè, & ea quæ paulò an-
 tè in-

tè informata est crudelitatis vestræ de-
 scriptio, apud omnes, qui legent, om-
 nibus ætatibus loquetur. Hoc ille, q̄
 tu, intellexit melius. Censes enim illū
 tam famæ suæ negligentem futurum
 fuisse, vt nisi vera esse sentiret, quæ scri-
 psit Zacharias, omissurus defensionē
 sui fuerit, præsertim cū ille mirum
 in modum polleat eloquentia, vt scri-
 bis? Sed victus veris tacuit. Et sapuit
 mea sententia, qui maluit vlcus, quod
 sanari non poterat, non attingere, q̄
 malè tractando maius facere. Immò,
 inquis, contemptu magiste & silētio
 dignum esse iudicauit. Cur ergo tu
 scripsisti potius, cur defensionē Mon-
 lucij suscepisti? Quippe vos amici plu-
 ris fecistis Zachariam, vt subijcis. Mi-
 rum est igitur, quòd ille attingendū
 non putauit, vos amicos eius non ne-
 gligendum censuisse. An quia de scri-
 pto Zachariæ iudicastis melius, quàm
 ille? sed vos huius iudicij laudem ei
 adimere nunquam auderetis. An q̄
 ipsius honos vobis magis fuit cordi,
 quàm ipsi? nemo hominum viuit illo
 ambitiosior, nemo honoris retinen-
 tior.

tior. Videamus ergo, ne hoc modo si-
 bi potius cauerit, qui cùm Zachariæ
 responsum vellet, & tamen intelligen-
 ret, quid esset in re, vobis cōmisit eam
 defensionē, vt si sortè succederet de-
 fensio, haberet, quod voluit: sin, quod
 ille magis suspicabatur, parum felici-
 ter cederet, ipse esset extra defensio-
 nis periculum, vos auctores id totum
 subiretis. Illud magis mirū esset, quòd
 tu cùm inter amicos Monlucij sis om-
 nium minimè sanus, ad dicendum au-
 tem omniū qui viuunt, ineptissimus,
 vt tota præscriptio tua mirandum in-
 modum demonstrauit, huius defen-
 sionis laudem ceteris præripere sis ag-
 gressus, quasi multò meli⁹ posses rem
 tractare, quàm ceteri omnes: nisi hoc
 ipsum, quod tibi hoc sumpsisti, certis-
 simum esset stultitiæ & amentitiæ tuæ
 argumentum. Nec longè huius mor-
 bi fides petatur. scribis enim hoc ipso
 in loco te perlecta, perpensaq; omni
 scriptiūcula Zachariæ cognoscere cœ-
 pisse non plus te illum facere debuisse
 nuce vitiosa. Ex quo intelligi potuit
 aut te nondum ea lecta, & re cognita

R acces-

accessisse ad scribendum: aut te in re,
 quæ responso esset indigna, tantum
 opere frustra sumpsisse. quorum prius
 stulti est iudicis, re antè non cognita
 iudicare: alterum tibi cum ijs commu-
 ne, qui prouerbio dicti sunt, verbera-
 re aërem. Illud omnium stultissimū,
 quòd cum re perfecta non debuisse te
 hanc operam sumere cognouisses, ma-
 luisti scriptum ineptum exire, quàm
 id conscindere aut suppressere, quod
 scissum aut suppressum oportuit. Vo-
 lebas videlicet tibi non perire operā.
 quod & tibi cōtigisse video. Nam hac
 opera id consecutus es, quod nulla æ-
 tas tibi vnquā adimet, stultitiæ & im-
 probitatis infamiam sempiternam.
 Quæ etsi omnia ita se habent: tamē
 non quid tibi reliqui faceres ad omnē
 non tam improbitatem, & impuden-
 tiam, quàm stultitiam orationis, etiā
 ad extremum concludere & probare
 conatus es, nos non esse Christianos,
 usque ad eò ridicula contentione, vt
 nesciam, si aduersus vos dicendum es-
 set, an quæri quid quam potuerit cer-
 tius. Concludam, inquis, Christiani
 pro-

proprium esse pati, non facere iniuri-
 am. Id si ita est, quid restat, nisi ut non
 sitis Christiani? quando enim passi es-
 tis iniurias, si vobis vlcisci licuit? quã
 vlciscendi occasionem non dico ob-
 latam prætermisistis, sed non studio-
 sissimè conquisiistis? Immò verò qui
 bus non contumelijs, & iniurijs pios
 & fideles omnibus temporibus obrui-
 stis? A quibus sunt illæ vexationes tot
 annorum, cædes illæ toties repetitæ,
 & tandem has secuta horrenda illa &
 portēto salaniēna? nōne à vobis, qui
 eas in nostros exercuistis? Et tu, cum
 hæc ita sint, audes vsurpare illã senten-
 tiam: Christiani esse pati, non facere
 iniuriam? Accipe ergo & tu ius ex sen-
 tētia tua, bone iudex, & cum vestrum
 sit facere, nō pati iniuriam, patere hoc
 ius tibi dici, vos non esse Christianos.
 Quid ni verò vsurpem eam sententiã,
 inquires? Huc enim spectat, ut probem
 vos ipsos Christianos nō esse, qui ma-
 luistis armati propulsare & inferre, q̃
 sine armis pati iniurias. Nostros verò
 hæc sententia nō lædit. Priuatim per-
 pessi sunt iniurias, quandiu per leges

aliud illis non fuit. Vbi Deus armauit
 eos, quibus saluis legibus, & per verbū
 Dei parere liceret, tunc bello exorto
 illis militantes non intulerunt, sed p-
 pulsarunt vim iniustam à se, à liberis, à
 parentibus, ab vxoribus, & denique à
 miseris socijs omnibus, quibus pari-
 ter vestra arma imminuebant. Vt autē
 illi aliquando intulissent: tamen quæ
 hæc vesania est, cū semper intuleri-
 tis nostris extremas iniurias, pati au-
 tem etiam leuissimā non magis possi-
 tis, quā ignem in sinu: cū præterea
 ipse paulò antè clarè professus sis non
 posse vos obliuisci damnorum & in-
 iuriarum acceptarum, vos tam homi-
 nes esse, quā sumus: quæ hæc, inquā,
 vesania est, te eam sententiam obijce-
 re aduersarijs, quæ si illos lædat, per-
 stringit tantum, te autem ab illa con-
 fici necesse est? Ex quo apparet te hæc
 sententia esse vsurum, non quia eam p-
 bares, sed quia putares in ea esse aliqd,
 quo nos læderes, ac dum id faceres, nō
 admodum laborasse, vtrum facta ve-
 stra in eandem sententiā incurrerēt,
 an non incurrerēt. In quo te similem
 planè

planè ostendisti insanis illis, qui vt no-
 ceant aduersario, non metuunt sibi v-
 trunque oculum effodere, dum illi v-
 num eruant. Christiani, inquis, pro-
 prium est obseruare regē, vt D. Petrus
 præcipit. Nulli sincerius aut fidelius,
 nulli maiore cultu obseruarūt, quàm
 nostri, quandiu per verbum Dei illi pa-
 rerelicit. Sed cùm ij, qui illum occu-
 parant, contenderent vi atque armis
 puram religionem Gallia eijcere, quā
 publica lex regis omnium ordinum
 consensu & auctoritate firmata intro-
 duxisset: iudicauerunt pij proceres ex
 verbo Dei officij sui esse, & fidei ac iu-
 risiurandi, quo Deo, regi, & regno ob-
 stricti erant, non prodere honorem
 Dei, non deserere defensionem bona-
 rum legum, non salutem piorum sub-
 ditorum, quæ suæ fidei & curæ concre-
 dita esse intelligebant. Ac quoties re-
 ligionis retinendæ spes non inanis fa-
 cta est, toties libentissimis animis ar-
 ma posuerūt, & omni fideli obsequio
 ac cultu declararunt nihil sibi esse se-
 cundum Deum antiquius aut prius,
 quàm illius iussu quiduis aggredi &

obire. Neque verò dictum Petri sic accipiendum est, quasi sine exceptione regi oporteat pareri. alioq̄ nemo magis aduersus id præceptum fecerit, quàm is ipse, qui protulit. Petrus enim Euangelium annunciabat magna libertate vt seruus Dei, & Apostolus Iesu Christi. quod tamen aduersus interdictum magistratum faciebat, vt testatur historia, quæ refertur Act. cap. 4. quin immò eo ipso in loco edicentibus scuerè summis magistratibus populi, ne loquerentur Apostoli, aut docerent in nomine Iesu, traditur hoc fuisse responsum Petri, Deo potius obediendū esse, quàm illis. Quomodo igitur illud accipiendum est, regem esse obseruandum? nempe ita, vt obseruemus in his, quæ sunt regis, non amplius. Quid enim, si quid imperet aduersus mādatum Dei? Noti sunt loci, quibus parere prohibemur: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei, Deo, Matt. 22. Et illud superius, Deo obediendū esse magis, quàm hominibus. Et hæc omnia sunt regis, quatenus aduersus Dei legem, aut leges Regni publicas,

cas, quibus se iureiurando cū inaugu-
 ratur, obstringit, nihil statuit. Quod
 si fit, licet priuatis omnibus salua con-
 scientia non parere, non vt armis se
 tueantur aduersus vim, quòd priuato
 per verbum Dei non licet, sed vt ne
 quid turpe in se admittere cogantur.
 Magistratibus verò populi, & proceri-
 bus regni, ad quos regni cura & bona-
 rum legū custodia pertinet, etiam ar-
 mis licet resistere regi, si quid aduer-
 sus leges publicas, & ordinem publi-
 cè constitutum, in quem iurauit, faci-
 at: nec licet tantùm, sed etiam pro offi-
 cio & persona quam sustinent, facere
 necesse habent. quod cū facient, in-
 telligi debet etiam ex verbo Dei re-
 stè fieri: cū Paulus iubeat vnumquēq;
 in ea vocatione manere, in qua voca-
 tus est, 1. Cor. 7. & idem omnem pote-
 statem à Deo esse scribat, Rom. cap. 13.
 Christiani proprium est, inquis, nemi-
 nem infamibus verbis (sic enim vocas
 verba infamantia) lacescere vel vlciisci.
 Si hoc ita est, quid est in tota tua præ-
 scriptione Christiani? cui si atrocias p-
 bra in pios & innocentes, cōtumelias

in verbum Dei, & Ecclesiam eius detraxeris, nudam reliqueris. Omitto cetera. quid ad atrocitatem illorum addi potuit, cum paulò antè ita scribis, nos omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, esse improbissimos, detestabiles, in quantum nequities & improbitas ipsa, exleges, impios, periueros, sacrilegos, fraudum factores, messorumque omnium? Quæ sunt eiusmodi, vt ad commemorationem etiam improbissimi cohorrescât. Quid addi potuit ad illud, quod in extremo scripsisti, nos, id est, vt interpretaris, populares meos (Geneuenses nimirum intelligens) quicquid libet, id iudicare nobis licere: nos nullas emendatæ, ac ne deprauatæ quidè religionis in animo impressas notas habere? Quæ non eò nunc commemoro, vt ostendam aut querar indignas nobis à te iniurias fieri. Nam, Deo gratia, nos bonis noti sumus, & coram Deo satis nos vita nostra & conscientia tuetur: tu autem is, cuius testimonium, etiam si sanus esses, non sit nobis valde pertimescendum. nam quid aliud ab Apostata potuit

tuit expectari, cuius quàm maximè
 interest, vt videatur non sine summa
 ratione à religione defecisse, tales, qua
 les describis, haberi eos, à quibus defe
 cisti: Sed eò dico, vt p̄spiciatur, quàm
 sis insanus, qui cùm velut ex altiore lo
 co seuerè scribis, Christianos nō esse,
 qui verbis, vt vocas, infamibus quen
 quam laceffant, vel vlciscantur, nō sen
 tias te maximè in te ipsum dicere,
 quasi tibi cōstitutum fuerit tua ipsius
 sentētia palàm & publicè interire. At
 enim Zacharias etiam Monlucium &
 regem verbis infamibus laceffuit. Ne
 scis, quid sit laceffere, aut vlcisci ali
 quem verbis infamantibus. Qui crimi
 nibus certis obiectis, hisq; benè con
 firmatis ea suo nomine appellat, is nō
 infamat verbis eos, quibus illa obijci
 untur, sed rei à se & suo factō infaman
 tur. Nec qui ea obijcit, si publicè & iu
 stæ defensionis causa faciat, testimo
 nio suo lædit proximum, sed adiuvat,
 omninoq; qui mandato Dei prohibe
 tur falsum testimonium dicere. aduer
 sus proximum, eodem præcepto pro
 proximo verum dicere iubetur. Euol-

ue autem iam totam Zachariæ defen-
 sionem: nusquam conuitia temerè &
 nocendi aut vlciscendi causa emissã
 reperies: sed omnia nata ex re ipsa, quã
 res talem se esse ostendat, qualis dici-
 tur. At quæ tu probra congesisti, cū
 omnia falsa sunt, temerè & sine men-
 te effusa: tum verò ex rebus de quibus
 dixisti, ita tibi ducuntur, vt videri pos-
 sis consultò priora posuisse, quo in ijs
 conuicijs, quæ sequuntur, omnem fi-
 dem tibi derogares. quale est hoc etiã
 quod sequitur. Christiani enim esse
 ais non calumniari. Atqui tota præ-
 scriptio tua vnum quoddam menda-
 cium est perpetuum, cōsutum ex cer-
 tissimis & manifestissimis calumnijs.
 quæ tuis etiam plerisque ita putidæ vi-
 dētur, vt eos tui pudeat. Quid autem
 Zacharias? omnia verissimè, in quibus
 tu illum hoc loco calumniatum esse
 dicis, regem nimirum Lutetiæ cædis
 commissæ esse mandatorem, Monlu-
 cium patronum. Prius tu nobis expē-
 diuisti, vt si antè nobis fuisset incertū,
 aut probare non possemus: tamen in
 ea re certam nobis & plenam confir-
 matio-

mationem suppeditares. Id enim rex
 ipse publicis edictis professus est, se au-
 ctore & mandatore eadem factam. In
 Palatium etiam venit, & illic frequen-
 tissimo Senatu idē de se palam & am-
 bitiosē testatus est. Tu autem prius re-
 gi in hac eadē de se dicenti credendū
 esse statuisti. Alterius nobis fidem fa-
 cit Monlucij defensio, quæ huius pa-
 trocinium ex professo continet. Vt e-
 nim iam antē suo loco diximus, pa-
 trocinij partes tres sunt, vel vt neges
 factum, vel vt dicas non hoc nomine
 appellandum, id est, tam graue esse, q̄
 dicit accusator: vel vt de facto & facti
 nomine confessus, iure id factum esse
 defendas. Has omnes patrocinij par-
 tes tres, Monlucij defensio in eadē re-
 gis complectitur. Monlucius igitur ci-
 tra dubitationem patronus. Nam q̄
 dicis hæc te refutasse, cum ex his quæ
 dixi, apparet, tum res ipsa etiam omni-
 bus tacentibus loquitur, quam inge-
 niosē & verè refutaueris. Hic tamen
 addis argumentū inuidtum, quo pro-
 bes non fuisse eam eadem factam au-
 ctore rege, quia & Catholici vnā cum
 nobis

nostris sint occisi. Deus tibi bene faci-
 at, qui tam præclaro & felici ingenio
 Galliam auxeris, qui tam acutè rem a-
 lioqui nutantem præter omniũ expè-
 ctationem constitueris. Et cui vnquã
 venisset in mentem tam reconditum
 argumentum? In cæde Hugonotorũ,
 vt vos appellatis, quæ Lutetiæ facta
 est, ad decem illorum millia, duo aut
 tres Catholici, vt tu vocas, ab inimicis
 prætextu religionis sunt occisi. Ergo
 illa Hugonotorum cædes regis man-
 dato admissa non fuit: scilicet quia
 nunquã rex mandasset occidi Catho-
 licos. Si de cæde istorum Catholicorũ
 ageretur, probabiliter diceres eam re-
 gis mandatu non contigisse. Et certè
 nihil de ea mandatum esse credimus.
 Sed quid hoc, te oro, ad rem pertinet,
 vt hinc probetur regem de Hugono-
 tis interficiendis nihil mandasse? Im-
 mò de Catholicis nihil mandauit, quia
 erat & ipse Catholicus: de Hugonotis
 autem ideo mandauit, quia his erat
 infensus, & illos quauis occasione ob-
 lata perditos cupiebat. Et quid prohi-
 bet regem de Hugonotis omnib? ne-
 candis

candis mandasse, eo autem mandatu
 plerosque ad suam vtilitatem, aut ini-
 micitias explendas ab usos, eos quos
 mortuos cupiebant, tanquam Hugo-
 notos occidisse? Et verò id ita factum
 esse scimus. Sed & dux Guisius, inquis,
 post vindicatam cædem patris inui-
 ctissimi, item alij aliquot nonnullos
 ex Hugonotis seruauerunt: quos vtiq;
 non seruassent, si alia fuisset mens, ali-
 ud votum Regis. Ignosce: hic mihi vi-
 detur paulò obtusior fuisse acies inge-
 nij tui. Nam si Rex sciebat istos serua-
 ri, & volebat idem fieri in omnibus,
 cur non & in alijs vim prohibebat? ne-
 que enim omnes eodem die sunt in-
 terfecti. si nesciebat, quomodo potuit
 hic animus & votum esse regis, vt ser-
 uarentur isti, qui an vlli essent, ignora-
 bat? Deinde si quòd Guisius in illa cæ-
 de nonnullos seruauit, argumentum
 est regem non mandasse de his occi-
 dendis: contraria de causa dici debu-
 it, quòd Guisius & ceteri tantam mul-
 titudinem interfecerunt, vel interfi-
 ciendam curarunt, argumēto esse de-
 bere mandatu regis fuisse factum. Nos
 quidem

quidem dialecticis utcumque imbuti
 ita colligeremus, qui didicimus con-
 trariorum contrarias esse debere con-
 secutiones. Quæ si tibi collectio in po-
 steriore parte displicet, ut meritò di-
 spliceret, etiã in altera parte tibi prior
 improbetur, necesse est. Et sanè plus
 quàm ridiculum est, quia aliqui serua-
 ti sint à Guisio, ideo colligere in alijs
 eadem auctore rege non esse factam:
 cum potuerint isti, qui seruati sunt, à
 rege excipi: aut cum mandasset rex de
 omnibus tollendis sine exceptione,
 tamen fieri potuerit, ut Guisius & illi
 alij de quibus dixisti, ob priuatas ami-
 citias, vel merita præcedentia, vel alias
 aliquas causas voluerint quosdã ser-
 uare, & seruarint, quia rege ignorante
 id facere se scirent. quod & ipsum ita
 euenisse scimus ab ijs, qui ab illis ser-
 uati sunt. Hucusque ergo cum cer-
 tissima argumenta habueris, quibus
 conuinceres Christianorum in nobis
 notas non esse: iam tutò cõclude nos
 nō esse Christianos, atque adeò quod
 facis, nos nullas non modò emenda-
 tæ, sed ne deprauatæ quidem religio-
 nis

nis in animo impressas notas habere.
 Postquam se tibi præcedentia ad eam
 probationem tam feliciter habuerūt:
 nō est, quòd dubites id certò affirma-
 re. Si solūm dixisses nostros nullas no-
 tas habere emendatæ religionis: pote-
 rat ferri apud aliquos tui similes, qui
 emendatam negant, quā à nobis cor-
 ruptam dicunt. quanquā poterat con-
 uicium doctrina fidei, quæ traditur in
 Ecclesijs nostris, & tot libris, & scriptis
 publicè testata est, satis refelli. Nunc
 cum addideris, nos ne deprauatæ qui-
 dem religionis vllas notas habere, fe-
 cisti nimium improbè & impudenter
 conuiciando, vt alterius quoque con-
 uicij fidem vltro tibi detraheres, pro-
 baresque toti orbi te impetu tantum
 & rabie quadam mentis ferri ad ma-
 ledicendū nobis: cum id dicas in no-
 bis non esse, quod quia nimium esse
 omnes alij tui contendunt, ideo nos
 oderunt, & persequuntur. Illud etiā
 magis ridiculum, quòd nō dixisti nos
 nullas notas religionis habere in acti-
 onibus nostris externis, sed nullas ha-
 bere impressas in animo. Si de rebus

externis, vt doctrina & cultu externo sentiebas, non debuisti dicere nos nō habere eas notas impressas in animo, quæ solūm spectantur extrinsecus. si sentiebas de animo reuera, quænam hæc est insania ius tibi sumere de animis aliorum iudicandi, quod iudicium solius est Dei?

Hæc tam multa & varia in singulis orationis tuæ partibus improba, infana, furiosæ mētis indicia iam tandem omnibus probant, primūm q̄ cōuenienter te initio scriptiois tuæ profiteri stylum te sumpsisse toties in manus, quò hominum mores & licētiam cohiberes atq; coargueres optimus morum censor & magister: ac tandem te seriò in hac causa sumpsisse. Deinde quàm dignus fueris vnus ex omnibus amicis Monlucij, qui illius defensionem & patrociniū susciperes, vel cui ille causam suam committeret potissimum. Postremò, quàm iam seriò sis catholicus factus. Quis enim de eolam dubitet, cum impios istos piorū Catholicorū hostes pro meritis tam egregiè acceperis, probauerisq; eos qui

qui sunt trucidati, quique ex eo numero restant, omnium mortalium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, esse improbissimos, nequitiã ad eam ipsam: denique ita omnibus turpitudinibus & sceleribus fuisse & esse oppletos, ut nihil potuerit istorum cæde qualibet fieri iustius, aut vniuerso populo Christiano utilius, melius? Ac mihi de tua præstanti opera in ista defensione cogitanti omnes causę esse videntur, cur tibi Catholici omnes publicè & priuatim pro tã egregia defensione gratias agant. Subit etiam monere te atque hortari, ut quemadmodum cœpisti, pergas fortiter. Id enim si facies, futurũ video breui, ut omnes qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, fideles Romanæ meretricis seruos fide erga sanctam sedem & meritis superes, atque omnium princeps euadas. Vnum animaduerti in tota præscriptione tua te malè habere, quod tu Christianus non Christiano responderis. Sic enim in extremo scribis: Christianũ me nõ Christiano respõdisse pudet, pigetq;: Verũ amici tui, & alij, qui hũc te no-

S

runt,

runt, hac parte lecta iusserunt te equo
 animo esse. nō enim esse tibi metuen-
 dum, ne in hanc partem peccaueris.
 Et verò hīc risum continere non po-
 tuerunt. Quid enim, inquebant, ille
 Christianus? & rogabant, post tot apo-
 stasias tuas quando cœpisses nobis ef-
 se Christianus, à quibus, apud quos, &
 quibus ex libris tam repentiē institu-
 tus? Alij dicebant scire se hoc ipsum
 esse, quod dicebas, sed consilium da-
 bant, vt si quas fortè literas huius rei
 testes domi haberes, eas diligenter af-
 seruares. nam his amissis, futurum om-
 nino esse, ne quisquam tibi quamuis
 deieranti crederet. Quod cum ita sit,
 reliquum est, vt tam illustri eloquen-
 tiæ, & benedicendi in hac defensione
 edito documento, nihil obstat tibi
 Christiani nomen, quò minus etsi tu
 non Christianus responderis Christia-
 no: tamen in ista ipsa defensione
 acquiescas beatus, & æter-
 nis fruire lau-
 dibus.

ERRA-

ERRATA.

- Pag. 67. linea 14. lege, falsum
Pag. 72. lin. penult. lege, Itane vero
Pag. 75. lin. 19. lege, Et eritis
Pag. 77. lin. 3. lege, prorumpens
Pag. 79. lin. 6. lege, detestabilis facinorū

